negat: cum conſtet nullum eſſe illius fundamentum attento ſolo naturæ jure.

Major autem difficultas eſt, quando alteruter fidelis erat: aut quando alterutrum, ut alterum, vel fides, ſeu contractus matrimonii de facto conſtante altero, præceſſit baptiſmum: alterum autem illum ſubſecutum eſt? Et quidem quando alter fidelis erat, ut ſi infidelis legitime conjugatus adulteretur cum fideli, vel hic conjugatus ſit, & neutrum lateat alterius conjugium, adſitque aut fides matrim. futuri, aut contractus de præſenti, non videtur dubium quin ſit impedimentum dirimens, ne fidelis ille baptiſmo ſuſcepto poſſit cum fideli matrim. inire. Quia quamvis infidelis nequierit impedimento hoc ligari ab Eccleſia: ligatur tamen fidelis, cum concurrant omnes conditiones petitæ, & cum matrimon. non poſſit conſiſtere niſi inter duos, & conſequenter, & indirecte ligabitur infidelis. Sicut *cap. 1. de converſ. infid.* decernitur, non poſſe conſiſtere matrimonium inter infidelem jam baptizatum, & fidelem, quando exiſtens ille infidelis, & hic fidelis, communi conſilio conjugem interficeret. Et ita docent *Veracruz 1. par. Specul. art. 34. poſt 9. concluſionem, dubio 3. Vega 2. tom. ſum. cap. 34. caſu 123.* Quando autem inter ipſos infideles alterum ante Baptiſmum contingit, ut promiſſio matrimonii, vel contractus, alterum vero poſt adulterium, *Veracruz d. ar. 34. poſt 9. concluſ. dub. 4. Vega de caſu 123. & Barth. a Ledeſ. dub. 58. de matr. infid.* fatentur eſſe impedimentum. Quia ſicut ſatis eſt promiſſio matrimon. ſcientiam conjugii præcedens, modo adulterium poſt ſuperveniat: ita ſat erit promiſſio ante Baptiſmum, ſubſequente illum adulterio. In utroque enim eventu videntur conjungi virtute priorum verborum. Et confirmat, quia a principio promiſſio illa non impediebat, impedivit autem additio adulterio cum matrim. notitia. Ergo ſimili modo fides ante Baptiſmum data, quæ tunc matrimonio non obſtat, poterit obſtare ſupervenienti adulterio poſt Baptiſmum. Secundo, quia machinatio mortis conjugis tempore infidelitatis habita, nocet infideli, ne infidelis factus poſſit inire matrimonium cum uxore conjugis interfecti, *cap. 1. de converſ. infid.* Addit tamen *Veracr. ibi* cum *Abulenſ. 1. Reg. 8. quæſt. 38.* quos ſequitur *Enriquez lib. 12. de matr. c. 14. § 3.* ſicut exigitur ſcientia adulterii ad hoc impedimentum, ita quoque deſiderari ejus exiſtimationem, ut ſi duxit infidelis repudiatam ab alio, & legitimo viro, qui repudiarat, ſuperſtite, poſt converſionem eam cognoſcat, exiſtimans ſolvi matrim. repudio, prout infidelitatis tempore credebat, non erit impedimentum: quod deſit adulterii exiſtimatio. Ceterum exiſtimo contra prædictos DD. nullum creari impedimentum, quando alterutrum horum ante utriuſque contrahentis Baptiſmum contingit. Quia cum neutrum ſeorſum puniatur ab Eccleſia hac pœna, ſed utrumque conjunctum: oportet utrumque contingere tempore habili, nempe, ſubjectionis delinquentium legibus Eccleſiæ. Sicut Eccleſia excommunicante percutientem hominem, & ab eodem bona ſurripientem, ita ut ambo delicta deberent conjungi: illam non contraheret percutiens ante Baptiſmum, & poſt illum bona rapiens. Item quia dans fidem ante matrimon. & poſt illud adulterans non renovata fide, minime ligatur hoc impedimento, quod illa tempore inhabili contigerit. At non minus eſt tempus inhabile, tempus infidelitatis, quando delinquens nullatenus eſt ſub Eccleſiæ poteſtate. Et per hæc ſolvitur prius argum. cum ſua confirm. Quia in hoc eventu utrumque contingit tempore habili. Nec obſtat poſterius. Quoniam in caſu illius textus, alter erat fidelis, ut proxime dixi.

43 Tandem in ſummam redigendo quæ late tota hac diſp. circa hoc impedimentum diximus: ad illud incurrendum deſiderantur aliquæ conditiones, Prima eſt adulterium cum feminis intra vas effuſione. Secunda, ut cum adulterio concurrat promiſſio etiam ſimplex, ut ducam te, futuri matrimon. aut contractus matrimonii de præſenti, ſive adulterium præcedat, ſive ſubſequatur illa, dummodo non ſit remiſſa fides matrimonii, aut matrimon. illud de facto initum jam diſſolutum, quando adulterium ſuperveniat. Satis autem eſt, fidem dari adulteræ de ineundo matrimon. cum perſona, quam quidem tertius deſignaverit, ſi id fraudulenter effectum ſit, ut tertius ille adulteram deſignet. Sufficit etiam quamvis matrimon. illud clandeſtinum ſit. At debent eſſe fides, aut matrimon. & adulterium eodem conjugio durante. III. conditio, ut adulterium perpetratum ſit, ſciente utroque adultero alterius matrimon. nec ſufficit, licet uterque adulter conjugatus ſit, & norit proprium conjugium: & excuſat ignorantia etiam non probabilis, ſed craſſa & ſupina. Sufficit vero ſi fides detur, aut matrim. ineatur ante ſcientiam alterius conjugii, ſi habita ſcientia accedat copula: at non ſufficit copulam ante ſcientiam haberi, & poſt ſcientiam dari fidem, aut matrimon. de facto iniri. IV. conditio, ut promiſſio matr. ſit externa, quamvis ficta ſit, fictione non apparente exterius: & quamvis promiſſio ſit conditionalis, niſi conditio ſit de præterito, aut præſenti, & nec conditio extiterit, neque tunc extet. V. conditio, ut promiſſio ab altero acceptata ſit, quamvis non repromittat. Taciturnitas autem ejus, cui promiſſio fit, abſque alio acceptationis ſigno, numquam ſufficit ad hoc impedimentum incurrendum. Ultima conditio, ut prius matrimon. validum fuerit, quamvis non ſit conſummatum, & diſſolutum ſit quoad thorum per divortium.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS,

ſecundis nuptiis, Benedictione earum Bigamia, ac aliis pœnis ex ſecundis nuptiis conſurgentibus.

DISPUTATIO LXXX.

An ſecundæ nuptiæ primis non diſſolutis, ſed conſiſtentibus, ſint jure naturæ interdictæ, atque irritæ?

SUMMARIUM.

Pluralitas uxorum ſimul eſt interdicta in lege nova jure divino, num. 1.
Confutatur hæreſis concedentium pluralitatem uxorum, 2.
Confutatur ſententia quædam Cajetani, 3.
Pluralitas virorum ſimul eſt contra prima juris naturæ principia, 4.
An pluralitas uxorum ſimul ſit quoque contra jus naturale, an potius contra peculiarem legis Evangelicæ prohibitionem? Refertur duplex ſententia, num. 5. *&* 6.
Juris naturæ præcepta duplicia ſunt, 7.
Explicatur, qualiter pluralitas uxorum ſit contra jus naturæ, 8.
Pontifex nequit in uxorum pluralitate diſpenſare, 9.
An conſuetudine poſſit reddi licita uxorum pluralitas? 10.
Poteſt Deus in illa diſpenſare, 11.
Qualiter antiqui patres excuſabantur plures ducentes uxores? Et an id liceret univerſo populo Iſraelitico? 12.
An ea diſpenſatio extenderetur ad populum Gentilium, ita ut in eo non peccaretur plures ducendo uxores? 13.
An in lege Evangelica ceſſarit omnino illa diſpenſatio, ita ut non ſolis Chriſtianis, ſed etiam infidelibus ſit illicita uxorum pluralitas, & reddit irritum matrimonium, 14.
An ulla diſpenſatione licitum fieri poſſit, ut una uxor pluribus viris nubat? 15.
Satisfit argum. Et explicantur, cap. Objiciuntur 32. quæſt. 4. & cap. Quod propoſuiſti 32. qu. 7. num. 16.

Per impedimentum ligaminis ſignificatur vinculum prioris matrimon. quo durante poſterius eſt irritum. Et in hoc impedimento eum ordinem ſervabimus. 1. quidem de pluralitate nuptiarum, primis conſiſtentibus, aut diſſolutis ſermo erit. Deinde de ſecundarum nuptiarum benedictione. Demum de bigamia ac penis civilibus, quibus ſecundæ nuptiæ afficiuntur. Præſens ergo diſput. petit, an poſteriores nuptiæ prioribus conſiſtentibus interdictæ ſint jure naturæ, atque ita pluralitas conjugum in nullo eventu liceat? Et ea quidem veritas tanquam Catholica præmittenda eſt, nunc in lege Evangelica prohibitum eſſe jure divino plures ſimul habere uxores. Quod definit *Trident. ſeſſion. 24. de matr. can. 2.* his verbis: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Eandem veritatem olim definivit *Innoc. III. cap. Gaudemus, de divort.* Et eſſe prohibitum, ita ut poſterius matrimon. priori ſubſiſtente ſit irritum, decidunt *Syricius Papa in epiſt. 1. & Innoc. I. epiſt. 9. & Alex. III. cap. Licet, de ſponſa duorum Innoc. III. cap. fin. eod. tit. & Nicol. Papa,* & refertur *cap. An non 24. quæſt. 3.* Et probat *Innoc. III.* hanc veritatem, *d. cap. Gaudemus,* ex teſtimonio Chriſti *Matth. 19. Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ubi Salvator noſter volens reſtituere matrim. ad eam rectitudinem & decorem, quæ in prima ſui inſtitutione habuit a Deo, ſuſtulit omnino polygamiam, quaſi primævæ matrim. inſtitutioni adverſam. Cum enim interdicat, dimiſſa uxore propter fornicationem, ad alias nuptias tranſire, a fortiori is tranſitus, uxore retenta, interdictus cenſendus eſt. Quod ideo mœchari dicatur, poſteriorem ducens priori dimiſſa, quia ob adulterium non deſinit prior eſſe vera uxor. Cum ergo uxor retenta potiori jure gaudeat uxorio retinet enim jus ad thorum & cohabitationem, quo dimiſſa ob adulterium caret, multo magis, ea retenta illicitum erit aliam ducere. Præterea, quia Chriſtus *Matth. 19.* revocat matr. ad primævam ſuam inſtitutionem dicens: *Qui fecit hominem, ab initio maſculum, & feminam creavit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* At matr. in prima ſui inſtitutione pluralitatem uxorum ſimul penitus excluſit. Illa enim verba *Gen. 2. Maſculum, & feminam fecit eos, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una,* aperte ſignificant unici cum unica conjunctionem. Quod etiam ſignificavit Chriſtus 1

Matth.

Matth. 19. quando, relatis iis verbis, concluſit. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Quæ verba indicant matrimonii initio inſtituti effectum eſſe, conjuges ita uniri, ut una caro efficiantur. At ex unius viri cum pluribus uxoribus matrimonio non una caro, ſed multiplex conſurget, nec tam unio, quam diviſio pullularet. Et ideo *D. Hier. D. Anſelm. Beda, Theophylact. in eum locum c. 19. Matth. D. Chryſoſt. hom. 63. in Matth. idem D. Hieron. l. 1. in Jovin. D. Ambr. in l. de dividuis. D. Aug. l. 1. de nuptiis, & concupiſc. c. 9.* docent uxorum pluralitatem primævæ matrimonii inſtitutioni adverſari. Quod idem multis teſtimoniis probat late *Arboreus lib. 1. Theoſop. c. 1.* Item quia *D. Paulus* ubicumque de matr. loquitur, ſemper de uxore in numero ſingulari meminit, ut *1. Cor. 7. Unuſquiſque ſuam uxorem habeat,* & alibi ſæpe. Tandem quia ſi matr. conſideretur quatenus eſt legis Evangelicæ Sacramentum, jure divino cum unica femina, dum ea ſuperſtes eſt, ineundum eſt, ut ſalvetur eſſentialis ſignificatio hujus ſacramenti, nimirum, matrimonii Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unica, ob unam fidem, & unum baptiſma, quamvis in ea multi fideles exiſtant.

2 Hinc confutatur aperta hæreſis Lutheri, & Anabaptiſtarum, impie defendentium pluralitatem uxorum. Quam & ſpurciſſimus Machumetus in nefanda ſua lege ſuis ſectatoribus conceſſit.

3 Secundo deducitur non ſine errore poſſe defendi ſententiam Cajetani, qui *1. Timoth. 3. paulo poſt principium, explicans ea verba: Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum;* ait tunc temporis multos habuiſſe plures uxores: eo quod nullibi id reperiatur interdictum. Et *Marci 10. paulo poſt princ. explicans ea verba: Quicumque dimiſerit uxorem,* ait legem de uxoris unitate nullibi in canonicis libris eſſe ſcriptam. Et *c. 19. Matth.* ſatis indicat, nec explicite nec implicite extare talem legem in ſacra Scriptura: atque adeo nullam divinam prohibitionem de uxorum pluralitate eſſe. Ducitur, quod locus *Matth. 19.* ex quo n. 1. diximus hanc prohibitionem deduci, referatur *Marci 10.* ſic: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Ubi non abſolute dicitur hunc eſſe adulterum, ſed eſſe talem erga uxorem injuſte dimiſſam, atque ipſa renitente migrantem ad ſecundas nuptias. Non ergo ex eo loco concluditur, uxorum pluralitatem in omni eventu eſſe jure divino illicitam. Sed hoc argumentum Cajetani minime obſtat. Tum quia *Innoc. III. c. Gaudemus, de divort* & ante eum *Innoc. I. in epiſt. 3. ad Exuperium c. 6.* ex eo loco *Matt. 19.* hanc uxorum pluralitatem a Chriſto Servatore noſtro vetitam eſſe probant. Tum etiam, quia *D. Auguſt l. 1. de adulter. conjug. c. 11. & Beda in c. 10. Marci,* ita exponunt ea verba: *Mœchatur ſuper eam,* non quod auferant adulterium, ſed quod duplicem injuſtitiam implicent, alteram injuſti repudii uxoris: alteram vero adulterii, alio inito matrimonio, priori uxore ſuperſtite.

4 Potiſſima autem hujus diſp. difficultas eo pertinet, num prohibitio hæc ſit peculiaris legis Evangelicæ, ita ut ante illam nulla extiterit lex naturalis, aut divina poſitiva interdicens conjugum pluralitatem? Et quidem univerſi fatentur pluralitatem virorum reſpectu unius uxoris interdictam jure naturali prorſus eſſe: atque id matr. cum aliis præter primum virum eodem jure irritari, quod adverſetur primario matr. fini: incerta enim erit proles, impedieturque generatio ex plurium virorum commiſtione: aut enim nunquam aut rarius ſubſequetur, ut in meretricibus experientia teſtatur. Inſuper adverſatur etiam fini ſecundario. Nam domeſtica ſocietas, & communicatio operarum, quæ ad vitam tuendam deſiderantur, minime obtinebuntur, ubi multa capita unius corporis ſunt, nempe, multi viri in eadem familia. Quare licet multi ſervi ſint commode unius domini, at nullus ſervus poteſt commode ſub multis dominis ſubjici, ac illis inſervire, ut teſtatur Chriſtus *Matt. 6.* nec id matr. tuendæ paci deſerviet, ſed innumeras excitabit rixas, quas unica uxor, tanquam ſubdita ſedare nequibit. Quibus rationibus *D. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 12. & l. de bono conjug. c. 17.* veritatem hanc comprobat: atque SS. Patrum veteris Teſtamenti exemplo, cum quibus ſæpe in Sacris litteris diſpenſatum legitur: ut plures uxores ducerent: cum tamen nullibi habeatur permiſſio, ut unica uxor pluribus viris nubat. Idemque probat *D. Th. 4. d. 33. q. 1. a. 1. ad 7,* quem univerſi ſequuntur.

5 At num idem dicendum ſit de pluralitate uxorum reſpectu unius viri, non convenit inter omnes. Quidam enim eam nec jure naturali nec divino antiquo poſitivo prohibitam eſſe cenſent. Ducuntur 1. quod uxorum pluralitas non adverſetur primario matr. fini, ſed illum optime aſſequatur. Cum unus vir multis fecundandis mulieribus, earumque liberis educandis ſufficiens ſit. Qui primarius eſt matrimonii finis. Et confirmatur, quia ſecundario matrimonii fini, nimirum, tranquillæ conjugum cohabitationi, non obſtat per ſe hæc uxorum pluralitas, ſed ipſarum malitia ac protervia. Quippe unica uxor contentioſa jurgia excitat, tranquillitatemque domus perturbat: quam tamen plures pacificæ conſervant, At quæ per accidens ac ex malitia eveniunt, attendenda minime ſunt, nec ſub artem cadunt. Et confirm. 2. quia ſecundarius finis cedit primario id petenti. Quando ergo generatio prolis ac ejus multiplicatio, qui finis primarius eſt, petit uxorum pluralitatem, quod prima ſterilis ſit, ea non repugnabit jure naturæ, quamvis ſecundarius finis non ita perfecte comparetur. Et 3. confirm. quod univerſæ operæ, ad domeſticam gubernationem ſpectantes, melius per virum, quam per mulierem præſtari poſſint. Quod docuit *D. Auguſt.* explicans ea verba Geneſ. 2. *Faciamus ei adjutorium.* Atque idem tradit *D. Th. 1. p. q. 92. a. 1. corp.* docens feminam formatam eſſe non in adjutorium alicujus operis, cum ad quodlibet opus convenientius juvare poſſit vir per alium virum, ſed in adjutorium generationis. Secundo principaliter prob. hæc ſent. Quia *D. Aug. l. un. de bono conjug. c. ſi. in princ.* expreſſe docet, antiquis Patribus illicitam non fuiſſe uxorum pluralitatem. Cum nec contra naturam id efficerent: eo quod non cauſa libidinis, ſed prolis multiplicandæ ducebantur: neque contra legem, nec contra morem. Quia eo tempore prohibita non erat. Et confir. quia *idem D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum c 47. & 48.* & refertur *c. Objiciuntur, 32. q. 4.* excuſat Jacob, qui quatuor uxores duxit, ratione conſuetudinis, ibi: *Quando mos erat, crimen non erat.* Ubi *gl. verb. Crimen,* inde infert conſuetudinem aliquando a culpa excuſare. Et *Joſephus lib. 17. de antiq. c. 1.* aſſeverat Judæis more majorum licuiſſe ſimul plures uxores habere. At conſuetudo non poteſt prævalere adverſus jus divinum aut naturale, ſed adverſus ſolum jus humanum, *c. ſi de conſuet.* Atque *D. Th. 4. 33. q. 1. a. 1. ad 1.* fatetur conſuetudinem poſſe ab hac uxorum pluralitate excuſare. Tertio, quia *idem D. Aug. lib 1. de nuptiis c. 9. & l. de bono viduit. c. 7. ex Conc. Colonienſi tractatu de matrimonio, c. incipienti, Ceterum nec naturæ,* clare probat virorum pluralitatem naturæ matrimonii adverſari, non autem uxorum multitudinem. Quod vir caput ſit, ac principem in familia locum obtineat, femina autem ſit ſubdita. At ea principis, & dominantis natura eſt, ut ſingularitatem amet, ſecus autem eſt de ſubjecti natura. Ut in corpore animato multi pedes ſunt, at unum ſemper caput. Et gubernationi domeſticæ plures dominos uni ſervo præeſſe valde obſtat, non tamen plures ſervos uni domino ſubjici. Quarto, quia *D. Hier. epiſt. ad Oceanum* manifeſte ſentire videtur, antiquitus nulla lege interdictam eſſe polygamiam. Quod idem tradit *D. Aug. l. 3. de doct. Chriſt. c. 12. & l. 16. de civit. Dei c. 38.* Quinto, quia *Greg. III. epiſt. 4. ad Bonifacium,* & refertur *c. Quod propoſuiſti 32. q. 7.* uxorem ſecundam ducere conceſſit cuidam ob primæ ægritudinem. Quam diſpenſationem concedere nequiſſet, ſi hoc juri naturæ adverſaretur. Sexto, quia creditu difficillimum eſt plurimas Gentes lumine ac ratione naturali deſtitutas eſſe, apud quas uxorum pluralitas permittebatur. Quas ultra *Tiraquellum lib. 7. connub. n. 16. & Alexandrum ab Alexandro lib. 1. dierum genialium, c. 24* late refert *Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. caſu 420. a n. 72.* Imo Valentianus ſenior (ut refert *Socrates lib. 4. ſuæ hiſt. c. 31.* legem tulit, ut cuilibet plures uxores ducere liceret. Et Julius Cæſar teſte *Sveton in ejus vita, c. 52.* hanc etiam promulgari legem juſſit. Et confirm. quia viri ſanctiſſimi in veteri lege plures ſimul uxores habuere. Ut Abrahamus Saram, & Agar, *Geneſ. 6.* Jacob Liam, & Rachel, Balaam, & Zelpham, *Gen. 29. & 30.* Helcana Annam, & Phenennam, *1. Reg. 1.* Moyſes Mariam, & Æthiopiſſam *Num. 12.* nec de diſpenſatione divina conſtat. Septimo, quia ſi licet uxori in totum jure ſuo cedere, conſenſum præſtans ut vir profiteatur; cur non licebit attento ſolo naturæ jure, ſibi in parte præjudicare, conſentiens ut aliæ ſimul uxores poteſtatem corporis viri ſui habeant, legitimo cum eis matr. inito? Et ideo hujus ſent. ſunt *Durandus 4. d. 33. q. 1. n. 9. & 10. Gerſon. 2. p. in regulis moralibus,* ubi de matr. *alphabeto 25. lit. I. Cajetanus c. 16. in Geneſ. paulo poſt princ. Abulenſis 1. Reg. 8. q. 25. & c. 19. Matth. q. 30. in ſolutione ad 2. & q. 33. Cor. & ad 1. Metina l. 4. de ſacrorum hominum continentia, controv. 1. toto c. 9. Veracruz 2. p. Speciali a. 15. concl. 1. & 2. Palacios 4. d. 23. diſp. 1. col. 16. f. 732.* Atque id non eſſe contra jus naturæ, bene tamen contra divinum poſitivum vetus, ut affirmant, quamvis ſuboſcure, *Scotus 4. d. 33. q. 2. a. 1. & ibi Supplem. Gabr. q. 1. a. 2. fine.*

Alii ſunt in alio extremo opinantes polygamiam adeo jure naturæ interdictam eſſe, ut pugnet cum conjugii veritate, ita ut nullo modo poſſit verum conjugium iniri cum ſecunda uxore. Prob. quia matrimonium conſiſtere nequit abſque mutua corporum traditione, at omnino repugnat rem uni traditam, alteri tradi. Et confir. quia *1. Cor. 7.* ſic dicitur: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ubi vir, & mulier æquiparantur quoad mutuam corporum poteſtatem tradendam. Sicut ergo naturæ matrimonii prorſus repugnat, mulierem non ita in ſolidum tradere ſui corporis poteſtatem uni viro, ut eo ſuperſtite ea poſſit alteri viro tradi (ut n. 4. probavimus,) ita ſimiliter repugnabit, ne omnino, & in ſolidum tradat vir eam ſui corporis poteſtatem uxori, ut integrum illi ſit alii ſimul uxori eam tradere. Secundo, quia ſi mulier non tradat in ſolidum ſui corporis poteſtatem viro, non erit legitimum matrimonium. At cum contractus hic ſit reciprocus, & utrimque æqualis, non cenſetur eam tradere mulier, niſi vir ſimiliter tradat. Tertio, quia per matr. ſe obligat vir ad reddendum debitum uxori, quotieſcumque illa petierit. Quod utique præſtare nequiret, ſi ſalva matr. ſubſtantia poſſet ſe cum pluribus uxoribus copulare. Si enim ſimul eæ peterent, eis ſatisfacere minime poſſet. Quarto, quia contra primum juris naturæ principium eſt, ut vir erga uxorem id faciat, quod erga ſe ab uxore fieri merito ac jure optimo recuſat. Cum ergo merito renuat uxorem alii viro nubere, contra prima naturæ principia erit, ut ipſe poſſit uxorem aliam ſimul habere. Tandem quoniam id quod in prima ſui inſtitutione matr. ſortitum eſt, illud natura dictante, videtur ita eſſe de jure naturæ, ut abſque illo conjugii eſſentia conſiſtere nequeat. At in prima matrimonii inſtitutione tantum licebit uxo- 6

ris

ris unitas, (ut n. 1. probavi.) Et ideo hanc ſententiam tuetur Vi- *Aureolus relatus a Capreolo* 4.*d*.33.*q*.1.*a*.2. Et videtur tenere *Vi-ſtoria relectione de matr. priori parte, part. prima, n.* 3. ubi ait eſſentiam matrimonii petere obligationem mutuam certi viri, & certæ feminæ, quamvis non declaret quid per hæc intelligat. Eamdem videtur tenere *Menochius de arbitrariis, lib.*2. *centur*.5. *caſu* 420. *a n*.46. rationes enim, quibus utitur ad probandum pluralitatem uxorum adverſari juri naturæ, clare hanc partem probant. Ejuſdem videtur *Petr. de Ledeſ. de matr.q*.65.*a*.1.*concl*. 2. *& duplic. ſeq.* ubi probat ita pluralitatem uxorum eſſe contra jus naturæ, ut ſit etiam contra primarium matrimonii finem.

8 Ceterum ut quid tenendum ſit explicem, præmittendum eſt duplicia eſſe præcepta ad jus naturæ pertinentia. Quædam univerſalia, quæ ſunt velut prima principia juris naturæ, quæ certiſſimam ac inviolabilem rectitudinis regulam continent: ac proinde in ea nulla cadet diſpenſatio, ut ſunt præcepta Decalogi. Alia vero ſunt quæ ex primis principiis tanquam concluſiones derivantur, quæ quidem licet rectitudinis regulam contineant, non tamen ita inviolabilem, quin ab ipſo naturæ Auctore propter aliquas circumſtantas mutari valeant.

8 Hoc præmiſſo, media ſent. inter duas extremas, nu. 5. & 6. relatas, amplectenda eſt, & dicendum polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus non eſſe omnino contra jus naturæ: atque adeo non eſſe contra prima ac univerſalia ejus principia: ſed aliquo modo adverſari juri naturæ, quatenus eſt contra concluſiones ab ipſis primis principiis derivatas: eo quod non repugnet matr. naturæ, nec primario ejus fini: ſed non ſatis cum matr. congruat, ſi omnes illius fines ſpectemus: atque proinde matr. illud cum alia uxore initum priori ſuperſtite, eſſe attento ipſo naturæ jure nullum. Priorem partem probat argum. 1. n. 5. relatum. Præterea quia alias Deus non poſſet diſpenſare circa uxorum pluralitatem. Cujus contrarium num. 12. oſtendemus. Poſterior vero pars inde ſuadetur. Quod uxorum pluralitas adverſetur ſecundario matrimonii fini, nimirum, tranquillæ ac pacificæ cohabitationi conjugum, ac gubernationi domeſticæ: qui finis eſt ſecundarius, (ut teſtatur *Philoſophus* 8. *Eth. c.* 9.) Uxor enim non ſubditur viro ut famula, ſed ut ſocia, & collateralis, ac in domeſtica gubernatione principatum tenens, (ut fuſius probant *D. Chryſoſt. homil.*20 *in epiſt. ad Epheſ. D.Th*.1.*p.q*.92.*ar*.3.) At omnis principatus, quo pax ſervetur, ſuapte natura ſingularitatem amat, (ut docet *D. Aug. lib. de bono conjug. c.* 17.) Et ideo non eſt ſimile de ſubjectione, qua plures ſervi uni domino ſubduntur. Et confirmatur, quia pax nequit eſſe in familia in eo eventu. Tum quia facillimo negotio invidiæ; & rixæ inter uxores illas pullulabunt: & id maxime, ſi una præ aliis a viro diligatur. Tum etiam, quia participatio plurium in eodem officio lites non modicas affert. Unde vulgare proverbium emanavit: *Quien es tu enemigo, ſino el ques de tu oficio?* Cujus rei ſingulare teſtimonium eſt, inter ſanctas etiam feminas, eidem viro conjugatas, hujuſmodi rixas ſubortas eſſe. Sicut de Sara, & Agar, Lia, & Rachele ſacræ litteræ commemorant, *Gen.* 16. *&* 30. Et de Anna, & Phenenna 1. *Reg*.1. Cujus etiam rei teſtimonium non mediocre eſt reſponſum Socratis, qui (ut tradit *Aulus Gellius lib* 1 *noct. Attic. c*.17.) admiranti Alcibiadi, quod duas ferret domi uxores, reſpondit: *Hæ me domi docent tolerantiam, qua in publico utendum eſt.* Atque Euripides, qui pariter duas uxores habuit, dicebat in Andromache, teſte eodem *Aulo Gellio lib.* 15. *noct. Atticarum cap.* 20.

Nunquam duplicia connubia collaudavero mortalium,
Neque binas matres habentes liberos,
Rixas quidem domorum, triſteſque offenſas.

Neque id per accidens, ſed ex natura rei oritur, attento feminarum nativo ingenio, & amore, quo uxor virum proſequitur. Non enim fert amor conſortium in re amata. Imo e contra raro, & ex feminarum bonitate accideret has rixas non oriri, cum multitudo uxorum eas afferat. Ars autem ſicut, & lex ea, quæ raro accidunt, minime ſpectat, ſed quæ frequenter, & in plurimum, *l. Nam ad ea, ff. de legibus*. Et confirmatur amplius, quia quædam opera ſunt in domeſtica gubernatione propria uxoris, & alia propria viri, teſte *Ariſt.* 3. *Oecon.* Unde *D.Thom*.1.*p. qu*.92. *a*.2. *corp.* ait feminam formatam eſſe in adjutorium viri, quoad domeſticam gubernationem. Quod latius ibi explicat *Cajetan.* Secundo, quia uxorum pluralitas adverſatur alii fini ſecundario matrimonii, nempe quatenus eſt in remedium concupiſcentiæ. Non enim vir poterit ſatisfacere concupiſcentiæ uxorum plurium. Et contingit illas ſimul debitum petere, & cum vir nequeat illis correſpondere, periclitabitur continentia illius, cui debitum negatur. Tertio, quia *Innoc. III. c. Gaudemus, de divort.* ait nulli umquam licuiſſe abſque divina diſpenſatione plures ſimul habere uxores. Atque *D. Chryſoſtomus homil.* 56. *in c.* 30. *Geneſis*, docet conſuetudinem habendi plures uxores fuiſſe iniquam citra divinam diſpenſationem. At ſi ſola lege humana prohibita, aut nulla conſuetudo prævaleret, nec divina diſpenſatione opus eſſet. Et confirmatur, quia ſi ſola lege Evangelica poſitiva eſſet interdicta hæc uxorum pluralitas, minime ligaret infideles: ac proinde illis licita nunc eſſet. Cum ante ſuſceptum baptiſma, peculiaribus populi Chriſtiani legibus minime adſtringantur. Cujus tamen contrarium decidit *Innoc. III. d. c. Gaudemus*, dicens infideles pluribus uxoribus conjunctos, cum ſola prima debere poſt baptiſma remanere. Si enim ea matrimonia eſſent legitima, non diſſolverentur per Baptiſmum, ut conſtat ex *eod. c. Gaudemus, & c. Quanto, de divort.* Tandem, quia nec lege civili apud Ethnicos umquam permiſſa fuit uxorum pluralitas, tanquam rationi naturali adverſa, (ut late probat *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *centur.* 5. *caſu* 420. *n*.89. *& ſeqq.*) Imo rejecta fuit lex, quæ juſſu Caii Cæſaris ſcripta eſt, eam permittens, teſte *Sveton. in Julii Cæſ. vita c.* 52. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *D.Th*.4.*d*.33.*a*... *corp. & ad* 1.6. *&* 9.*ar*.2.*corp. Ricardus ibi a*.1.*q*.1.*Palud q*.1.*a*.1.*n*.9.*Capreol.q*.1,*a*.1.*concl*.1. *Deza q*.1. *a*.3. *notabili* 1. *Sotus q*.1. *toto a*.1.*D. Antonin*.3.*p. to*.14. *c*.10.§.1. *Dried. l*. 1. *de libert. Chriſt. c fi. paulo poſt princ. Catharinus lib.* 5. *contra Cajet. c. de matr. Ferrara* 3. *contra Gentes c*.224.*Covar*.4.*decret*.2.*p.c*. 7.§.3.*n*.1. *&* 2.*Ledeſm*.2.*p*.4.*q* 67 *a*.1. *Viguerius lib. inſtitut. c*. 16.§. 7.*verſ*.12. *Corduba in ſuo quæſtion. lib*.4. *q*.3.*dub*.2. *Angles Floribus* 1.*p. de matrim.q*.7.*a*.1. *in princ. ex* 1. *uſque ad* 4.*concl. Bellarm. lib*. 1. *de matr. cap*.11.*propoſit*.2. *Valentia* 4.*p. diſp*.10.*q*.1. *punct*.3.*col*.3. *verſ. Quinto, Pereira in cap.* 16. *Geneſ. diſp*.1. *num*.22. *Enriq. lib*. 12. *de matr. c*.6. *n*.1. *Celaja* 4 *d*. 33.*q*.1. *Lud. Lopez* 2.*p. inſtruct.* ubi de matr. *cap.* 56. *Barth. a Ledeſ. dub.*72. *de matr. quatuor primis concl. Majoris* 4. *d*. 32. *quæſt*. 1.

Hinc deducitur nullatenus poſſe Pontificem in hac uxorum pluralitate diſpenſare. Quod tum lege naturali, tum etiam lege Chriſti ob veram Sacramenti ſignificationem interdicta ſit. (Sicut probavi n. 1.) Conſtat ex *cap. Gaudemus, de divor.* ubi eam nunquam licuiſſe citra divinam diſpenſationem deciditur. Atque ita docent *D.Th*.4.*d*.33.*q*.1, *art*.2. *corp. & ibi Durand.q*.1.*n*.11.*Ricard.a*.1,*q*.2.*Palud. q*.1. *a*.1.*n*.17. *Suppl. Gabr. q*.1.*a*.2. *concl*.6. *&* 8. *Majoris q*.1. *in arg. contra* 3.*concl. Capreol. q*. 1 *a*.3. *in ſolut. ad* 1. *Aureol. Deza, q*.1.*a*.3.*notab*.1, *Abul c*.19. *Matt. q*.36. *Driedo l*.1. *de liber. Chriſt. c*.1.*ult. fi. D. Anton*.3.*p. t*.14. *c*.10.§. 2. *Sot*.4.*d*.33.*q*.1.*a*.2, *col*.10.*concl*.4 *Ledeſ*.2.*p*.4.*q* 67.*a*.2.*col. antepenult Covar*.4.*decret*.2.*p.c*.7. §.3. *n*.1. *Ferrara* 3. *contra Gentes cap*. 124.*Bellarm.l*.1. *de matr. c*.11.*propoſ*.1. *Angles Florib*. 1.*p*. ubi de matr. *q*.7.*a*.1.*diffic*.5.*Enriq.l* 12. *de matr.c*.6.*n*.3. *Petr. de Ledeſm. de matr.q*.65.*a*.2.*dub*.1.*concl*.5. *& dub*.4.*concl*.1. *Barth. a Ledeſm. dub*.72. *de matr. concl*.5. *Palacios* 4.*d*.33.*diſput*.1.*col*.17. Nec audiendi ſunt aliqui quos tacito nomine refert *Durand. proxime allegatus*, dicentes poſſe Pontificem diſpenſare: atque id falſum non eſſe contra rationem. 9

Secundo deducitur, nulla conſuetudine effici poſſe licitam hanc uxorum pluralitatem. Quod conſuetudo prævalere nequeat adverſus jus naturale, & divinum poſitivum, ſed ſolum, contra humanum, *c. fi. de conſuet.* Sic tradunt *D. Antonin. & Driedo num. præced. allegati, Sotus* 4. *d*. 33. *qu*. 1. *art*. 2. *col*. 8. *verſ. Et perdiluuntur, Cov*. 4. *decret*. 2. *p. c*.7. §. 3. *num*. 1. 10

Tertio deducitur, poſſe Deum diſpenſare in hac uxorum pluralitate. Quia nulla invenitur repugnantia: nec eſt contra prima juris naturæ principia. Idque amplius conſtabit ex dicendis num. ſeqq. 11

Quarto deducitur, veteres patres legis antiquæ pluribus uxoribus conjunctos, culpæ immunes fuiſſe, eo quod Deus cum illis diſpenſarit. Quod aſſerit *Innoc. III. c. Gaudemus, de divort.* Atque multis relatis, & exploſa eorum ſententia, qui dicunt nuquam licuiſſe uxorum pluralitatem, ſed permiſſam fuiſſe tanquam minus malam, probat late *Bellam. lib*. 1. *de matr. toto c*. 11. Hæc autem diſpenſatio non conceſſa eſt externa aliqua ſcriptura, aut loquutione, ſed inſpiratione interna facta Patriarchis, quæ derivata eſt vi exempli, & conſuetudinis ad reliquos ex populo Iſraelitico, ac proinde omnibus illis pluralitas uxorum licebat. Quod tanquam notum ſupponitur *Deuteron*.20. ibi: *Si habuerit homo duas uxores*. Et ita docent *D.Th* 4.*d*.33.*q*.1.*a*.2.*corp. & ibi D. Bonavent. a*.1. *q*.3. *Ricard. a*.1.*q*.2. *Supplem. Gabrielis q*.1 *a*.3.*dub*.1 *Capreol. q*.1.*a*.3.*in ſolut. ad* 4.*Durand. Sotus q*.1.*a*.2.*col*.7.*verſ. Sed dubitatur, Ledeſ*. 2.*p*.4.*q*.67,*a*.2.*Bellarm.d.c*.11.*propoſit*.3. *&* 4.*Valentia* 4.*p. diſq*.10. *q*.1.*punct*. 3. *colum*. 3. 12

Et quidem ſatis probabile eſt, eam diſpenſationem extenſam eſſe ad populum Gentilium, atque ita eis antiquitus fuiſſe licitam uxorum pluralitatem. Idque docere videtur *D. Aug. lib*.22. *contra Fauſtum c*.47. Et dicunt eſſe probabile, *Bellarm. l*.1. *de matr. c*.11.*propoſ*.6.*Ledeſ*.2.*p*.4.*q*.67. *art* 2. *Valentia* 4. *part. diſp*.10.*q*.1.*punct*.3 *col*.4. At probabilius eſt, non eſſe extenſam. Quod in eo ratio diſpenſationis non militaret, nempe fidelis populi multiplicatio. Quare niſi ignorantia excuſarentur, peccati rei erant Gentiles polygamia utentes. Atque ita docent *Sotus* 4.*d*.33.*q*. 1. *art*... *col*.7. *verſ. Longe tamen, Angles Floribus* 1.*p. de matr. q*.7. *ar*.1. *diffic*.3.*Enriq. l*. 12. *de matrim. c*.6 *n*.2. *& lib*. 11. *c*. 2. *n*. 3. *Barth. a Ledeſ. de matr. dub*. 72. *concl*. 6. 13

Ceterum jam in lege Evangelica ejuſmodi diſpenſatio caſſata eſt a Chriſto Servatore noſtro, quando *Matth*. 19. reduxit matr. ad primævum ſtatum, in quo unica uxor licebat (ut n. 1. probavimus.) Quare nullis fidelibus nec infidelibus licita eſt hodie polygamia, & dum infideles baptiſma ſuſceperint, cogendi ſunt ad primam uxorem legitimam redire, ſeparandique ſunt ab aliis matrimoniis ea ſuperſtite initis, tanquam ab omnino irritis. Quod expreſſe decidit *Innoc. III. c. Gaudemus, de divort.* Quia lege naturali, qua omnes etiam infideles adſtringuntur, id matr. erat irritum: & ex ſola Dei diſpenſatione valebat; (ut conſtat ex dictis nu. 8. & 12.) caſſata ergo diſpenſatione per Chriſtum, jam matr. illud manebit in terminis juris naturæ irritum. Itaque dico eſſe irritum reſpectu infidelium, propter legem poſitivam Chriſti: ea enim non obligat infideles ante ſuſceptum baptiſma: ſed propter jus divinum naturale id irritans, ad quod ſublata diſpenſatione per Chriſtum, reductum eſt matrimonium. Et ita nunc minime licere infidelibus polygamiam, & ſecundas nuptias eſſe irritas, docent *Sotus* 4.*d*.33.*q*.1.*a*.2 *col*.9.*concl*.3.*Bellarm. lib*.1. *de matr. c*. 11. *ad fi. Valentia* 4.*p. diſp*.10 *q*.1. *puncto* 3. *col*.4. *Enriq. lib*. 11. *de matr. c*.2.*n*.3. *in comment. litt. M. & lib*.12.*c*.6.*n* 2.*Ledeſ*.2.*p*.4.*qu*. 67.*a*.2.*col. antepenult. Veracruz* 2.*p. Speculi, a*.18.*concl*.2.*Petr. de Ledeſ. de matr. q*.65 .*a*.2. *dub*.3. *concl*.5. Quare tolerandum non eſt quod dicit *Abulenſis c*.19. *Matthæi q*.35. *paulo poſt princ.* ubi ait poſſe ſuſtineri, infideles nunc non peccare accipiendo plures uxores. Et ad *cap. Gaudemus, de divor.* reſpondet, cogi infideles dimittere poſteriorem uxorem, quando ad fidem veniunt, non quod peccarint accipiendo, ſed retinendo: cum jam legi Chriſti ſubjecti ſint. Verum hæc evaſio ex eo confunditur, quod Baptiſmus non ſolvat conjugia, ut habetur *c. Gaudemus, & cap. Quanto, de divort.* Atque minus tolerari debet *Veracruz* 2.*p. Speculi, a*. 17.*concl*.5. dicens eſſe valde probabile, infideles non delinquere plures nunc ducendo uxores. Quod ſola lege poſitiva Chriſti ipſos non obliganti ante Baptiſmum interdicatur. Quod eſt contra expreſſam Innocentii III. deciſionem *d. c. Gaudemus*. Quare merito *Enriquez* id erroneum appellat; & *Petrus de Ledeſma* temerarium, ac errori proximum. 14

15 Ultimo deducitur, quid in ea quæſtione ſentiendum ſit. An Deus poſſit diſpenſare, ut una uxor pluribus viris nubat? Communiter enim tradunt DD. in id non cadere diſpenſationem. Et *Bellarm. lib*.1. *de matr. c*.11. *poſt* 2. *propoſ.* expreſſit nec Deum poſſe diſpenſare: eo quod ſit contra prima principia juris naturæ. Verum nullam video repugnantiam, nec hoc ita intrinſece malum eſſe, quin Deus poſſit diſpenſare. Quod docent *Majoris* 4.*d*.33.*q*.1. *in* 1.*arg. contra* 1. *concluſ.* Et latius probant *Petr. de Ledeſ. de matr. q*. 65. *a*. 2. *dub*. 2. *concl*. 2.

16 Ad argum. nu. 5. propoſita reſp. Ad 1. argum. dic illud probare, non eſſe uxorum pluralitatem contra prima juris naturæ principia, quod n. 8. faſſi ſumus. Ad 1. confirmationem conſtat ex dictis n. 8. ubi probavi oriri per ſe. Ad 2. confirm. dic, tunc non ſemper cedere finem ſecundarium, ſed ſolum diſpenſante eo, cujus eſt in illo præcepto diſpenſare, qui in præſenti eſt ſolus Deus. Ad 3. confirmationem conſtat etiam ex dictis n. 8. ubi probavimus quædam opera domeſtica feminis peculiaria eſſe, & in adjutorium viri ad ea præſtanda formatam eſſe mulierem. Et *D. Aug. ac D. Th*. loquuntur de femina, & viro abſolute; (ut explicat *Cajet. eod. art*. 1. *fin*.) nam omnia opera domeſtica poſſunt ita bene ac melius per alium virum exerceri. At comparando uxorem ad virum, ad quædam aptior eſt uxor, imo dedecent virum: & melius præſtantur per uxorem propter arctum amicitiæ cum marito vinculum, quam per alium virum. Ad 2. principale & confirmationem dic, ea teſtimonia intelligi, ſuppoſita divina diſpenſatione: quæ conſuetudinem illam licitam reddebat, & efficiebat non eſſe contra legem. Et ita *D. Auguſt*. ibi non dixit, *quia mos erat, peccatum non erat. Sed quando mos erat*: quaſi mos non ſit cauſa, ſed divina diſpenſatio morem excuſans. Et quamvis mox ſubdat: *nunc quia mos non eſt, crimen eſt*: intelligitur juxta præmiſſa. Quia non eſt mos divina diſpenſatione approbatus. Ad 3. dic mentem *D. Auguſt*. ſolum eſſe, non ita juri naturæ adverſari pluralitatem uxorum, ac pluralitatem virorum. Et ad ſimilitudinem adductam de ſervis conſtat ex dictis nu. 8. Ad 4. dic ſicut dixi ad 2. Ad 5. dic cum *Gloſ. eo. c. Propoſuiſti, verb. Nubat, Soto* 4.*d*.33.*q*.1.*a*.2. *in fi. corp. Menoch. de arbitr. lib*.2.*cent*.5. *caſu* 420.*n*.95.*Bellarm. lib*.1. *de matr. c*.11.*fin. & lib*.4. *de Pontif. c*.12. *colum*.1. priorem non fuiſſe legitimam uxorem ob impedimentum perpetuum: idque ſolum declaraſſe Pontificem. Quod ſi objicias, non videri judicare prius matr. nullum: cum dicat non debere virum a priori uxore debitum ſubſidium auferre, dic cum *Gloſſ. eo. verb. Nubat*, intelligi de dote reſtituenda: aut ſi de alio ſubſidio accipiatur, eſſe conſilium. Ad 6. dic, id non eſſe mirum, ſicut aberrarunt colendo deos falſos. Ad confirmationem conſtat ex dictis n. 12. Ad ultimum dic, poſſe quempiam juri ſuo renuntiare, quando nulla alia ratio prohibitionis adeſt, præter alterius præjudicium: ut contingit in negatione debiti: Secus ubi aliunde oritur prohibitio ut contingit hic. Plures enim habere uxores eſt illicitum, non ob injuriam uxori illatam, ſed quia eſt contra rectæ rationis dictamen, ad finem ſecundarium matrimonii. Ad 1. argum. ex propoſitis n. 6. dic, poſſe virum tradere ſui corporis poteſtatem uxori, ſalva matrimonii eſſentia, non omnino in ſolidum, ita ut ſimpliciter uni ſoli mulieri tradatur, ita ut non poſſit alteri tradi ad ſimiles generationis actus: ſed ſufficere ad matrimonii veritatem, tradere quantum ſatis eſt ad liberorum procreationem. Ad confir. dic, virum non habere poteſtatem ſui corporis, in quantum eam tradit uxori. Vel loquitur, ut contingit de facto in matrimonio poſt legem Evangelicam, in quo eſt mutua ac æqualis traditio utrique in ſolidum. Non tamen ex natura rei ſimiliter utrumque repugnat. Ad 2. dic, de facto rem jam ſic ſe habere. At ſic non ſe haberet Deo diſpenſante in uxorum pluralitate. Sed neceſſario, ut verum conſiſteret matr. deberet mulier totam ſui corporis poteſtatem tradere viro: nec jure vellet ſimiliter virum ei in ſolidum poteſtatem tradere, ſed quatenus ſobolis procreatio petit. Ad 3. dic cum *D.Th*. 4 *diſt*.33. *q*.1.*a*.1. *ad* 6. Si attendamus finem matrimonii primarium, id non petere, ut vir reddat debitum uxori, quotieſcumque illa petierit, ſed quantum ſufficit ad concipiendum: ad id poſtulat, quoad finem ipſius ſecundarium, qui eſt concupiſcentiæ mederi, cavendo fornicationis periculum. Et ideo ducens plures, non ſe obligat ad impoſſibile, attento primario matrimonii fine. Ad 4. dic, eſſe contra prima juris naturæ principia, ut quis erga alterum faciat quod erga ſe fieri non vult, ſervata proportione. Non enim ſi prælatus vult ne ſubditus ei reſiſtat, ſed obediat, debet ſimiliter velle non reſiſtere ſubdito, & ei obedire. At non eſt eadem proportio, ut conſtat ex dictis n. 1. & 8. Ad ultimum dic, cum natura humana omni defectu vacans inſtituta ſit, non ſolum eſſe ei indita illa, ſine quibus primarius matrimonii finis obtineri nequit, ſed etiam ſine quibus ſecundarius difficile obtinetur.

DISPUTATIO LXXXI.

An ſecundæ, & ulteriores nuptiæ, prioribus morte alterius conjugis diſſolutis, licitæ ſint.

SUMMARIUM.

Refertur quædam hæreſis, num. 1.
Secundæ, & ulteriores nuptiæ prioribus diſſolutis licitæ ſunt, ac verum Sacramentum, 2.
Qualis certitudo mortis prioris conjugis deſideretur ad tranſitum ad alias nuptias? Et liceat illis contractis ante petitam certitudinem mortis, petere & reddere? Remiſſive, 3.
Solvuntur argumenta, Et explicantur cap. Quomodo, cap. De his, c. Hac ratione 31. *q*. 1. *n*, 4.

QUidam hæretici ſecundas, & ulteriores nuptias etiam prioribus morte alterius conjugis diſſolutis damnarunt. Ita Montanus, & Cataphrygæ, teſte *D. Aug. l. de hæreſibus, c*. 26. & Cathari. teſte *eod. c*.38. Atque in eodem errore fuit *Tertull. l. de monogam.* teſte *eod. D. Aug. ibi c*. 86. Eamdem hæreſim tuentur Novatiani, ut conſtat ex *Conc. Niceno can*. 8. Et probant 1. ex *D. Ambroſ*. 1. *Cor*. 7. ubi ſecundas nuptias affirmat minime eſſe bonas. At *Auctor operis imperf*. (quod a quibuſdam D. Chryſoſt. tribuitur) *hom*. 32. *in Matth*. & refertur *cap. Hac ratione* 31. *qu*. 1. eas fornicationem appellat. Et *D. Hieron. l*. 1. *contra Jovinian.* & refertur *cap. Quomodo* 31. *q*.1. eas expreſſe damnat. Et *l*. 2 *contra eumdem* multa in ſecundas nuptias congeſſit. 2, quia in *Concil. Neocæſarienſi, c*. 3. *&* 7. & refertur *cap. De his* 31. *q*. 1. *& in Concil Laodic. can*. 1. ineuntibus ſecundum matrimonium imponitur pœnitentia. 3. quia Eccleſia ſtatuit tranſeuntes ad ſecundas nuptias eſſe bigamos, eoſque ab ordinibus ſuſcipiendis expellit, ut conſtat ex *toto t. de bigamis*, ac in aliquo eventu denegat ſecundis nuptiis benedictionem, *cap*. 1. *& cap. Vir, de ſecund. nupt.* quod iniquum foret, ſi licitæ eſſent. 4. quia eæ non perfecte ſignificant conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Et ideo defectu Sacramenti inducunt bigamiam, *c. Debitum, de bigamis*. Non ergo ſunt Sacramentum. Tandem, quia multæ leges edite ſunt diverſas ſtatuentes penas tranſeuntibus ad ſecundas nuptias in odium illarum: nempe *l. Feminæ, l. Generaliter, l. Si quis prioris, §. In illo, l. Hac edictali, in princip. auth. Ex teſtamento, C. de ſecund. nupt.* & multæ aliæ. Et quam apud ipſos etiam Ethnicos fidei lumine deſtitutos odioſæ fuerint, ac abominabiles, conſtat ex multis per *Tiraquell.* adductis: *l. Boves, §. Hoc ſermone, in princ. n*. 143. *& multis ſeq. ff. de verb. ſign.* Sunt ergo illicitæ. 1

At veritas Catholica eſt, 2. 3. 4. & ulteriores nuptias, prioribus diſſolutis, licitas eſſe, ac verum Sacramentum. Prior pars, nimirum, eſſe licitas, conſtat ex *c*. 7. *ad Rom. Quæ ſub viro eſt mulier, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Et 1. *Cor* 7. *Si dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat*. Quem locum expendens *D. Aug. lib. de bono viduali c*. 12. animadvertit non dixiſſe D. Paulum, ſi dormierit primus vir, aut 2. aut 3. ſed indefinite. Et 1. *Ad Timoth*. 5. loquens D. Paulus de viduis voto caſtitatis minime adſtrictis, ait: *Volo juniores nubere*. Et *Concil. Nicænum, c*. 8. petit a Novatianis redeuntibus ad Eccleſiam ut fateantur ſe communicaturos cum his, qui ad ſecundas nuptias tranſiere. Et *Concil. Florentinum* in Armenorum inſtructione, ſecundas & quaſvis alias ulteriores nuptias approbat. Et *c*.1. *& cap. Vir, de ſecund. nupt.* eas licitas eſſe ſupponitur, & tantum illis denegatur benedictio, quando ſaltem alteri conjugi in priori matr. impertita eſt, ne repetita in vilipendium eat. Et univerſalis Eccleſiæ conſuetudo eas approbat. Atque ex ſanctis Patribus *D. Aug l*.2. *contra adverſ. legis cap*. 11. *Et* 1. *Corinth*. 3. relatis *cap. penult. & cap. fin*. 31. *qu*. 1. *Et lib*. 16. *de civit. cap*. 34. *D. Hieron. in apolog. contra Jovinian.* & refertur *cap. Aperiant*, 31. *quæſt*. 1. *Et epiſt*. 11. *ad Ageruchiam cap*. 3. *D Chryſoſt. homil*. 20. *in epiſt. ad Epheſios*. Et probatur hac ratione, quia cum primæ nuptiæ morte penitus diſſolutæ ſint, nullum poſſunt aliis legitime ineundis impedimentum præſtare: id etiam conſtat ex primævo matrimonii fine, nimirum, ſobolis procreatione: fieri enim poteſt, ut prius matrimon. ea careat. Et ex alio 2

matri-

matrimonii fine, qui eſt ardorem concupiſcentiæ temperare: ferventior enim eſſe ſolet in viduis, ob copulæ conſuetudinem. Tandem prob. poſterior pars, nempe, illas eſſe Sacramentum. Quod inveniantur in eis omnia ad Sacramentum requiſita, ſicut in primis, nimirum perſonæ legitimæ, quæ ſunt debita materia remota: expreſſiones conſenſuum, quæ ſunt materia propinqua & forma. Item, quia matr. legitimum in nova lege eſt Sacramentum, ut definit *Trid. ſeſſ. 24. de matr can.* 1. At ſecundæ, & ulteriores nuptiæ, primis diſſolutis initæ, ſunt legitimum matr. novæ legis. Ergo erunt Sacramentum.

3 Qualis autem certitudo mortis prioris conjugis deſideretur, ut liceat tranſitus ad alias nuptias, dixi lib. 2. tota 4. diſp. 2. Et an in dubio matr. poſteriori inito liceat petere, & reddere, dixi ibi, a diſp. 41. uſque ad 45.

4 Ad arg. nu. 1. propoſita reſp. Ad 1. & 2. dic in omnibus illis teſtimoniis non damnari ſecundas nuptias, quod illicitæ ſint, nec per ſe reprobari, ſed per accidens ob nimiam concupiſcentiam, & intemperantiam, ex quibus illarum repetitio proficiſcitur: atque ob illam intemperantiam imponitur pœnitentia. Ad 3. dic eam irregularitatem indici, non eo quod ſecundæ nuptiæ improbentur, aut a vera Sacramenti ratione deficiant: ſed quia non ita perfecte conjunctionem Chriſti cum Eccleſia repræſentant: denegatur etiam benedictio ob rationem nu. 2. traditam. Ad 4. dic, non eſſe de eſſentia Sacramenti, ut perfecte ſignificent unitatem unici ſponſi cum unica ſponſa, qualis reperitur in conjunctione Chriſti cum Eccleſia? ſed ut conjunctionem illam ſignificent: At accidentaria eſt unitatis illius ſignificatio. Ad ultimum fateor eas legibus civilibus odioſas fuiſſe: at omnes eæ pœnæ in odium ſecundarum nuptiarum inflictæ ſunt jure can. correctæ, tamquam contra bonos mores, & debitam matrimonii libertatem, ut latius diſp. 87. dicemus.

DISPUTATIO LXXXII.

An ſecundis nuptiis benedictio impertienda ſit: & quam pœnam incurrat ſacerdos benedicens?

SUMMARIUM.

Explicatur antiquitas benedictionum nuptialium, & earum convenientia, num. 1.
Benedictiones hæ a quo conferendæ ſint: & quam pœnam incurrat ſacerdos abſque proprii parochi licentia eas impertiens, 2.
An ſuſpenſio hæc incurratur, quando ſacerdos non benedicit alieno parochiano, ſed dat licentiam benedicendi. Et qualis ignorantia excuſet ab illa: Et an per hanc ſuſpenſionem Tridentini ſublata ſit excommunicatio contra regulares ſolemnizantes matrim. 3.
An ſufficiat parochus utriuſvis contrahentis? 4.
Quis dicatur proprius parochus, vel ordinarius ad has benedictiones conferendas: & an privilegium bullæ concedat aliquid circa hoc: & an licentia debeat eſſe ſpecialis: & qualis parochus eam concedere valeat? Remiſſive, 5.
An ſit peccatum omittere benedictiones: & an ſint dandæ infidelibus conjugatis ad fidem converſis? 6.
Quale damnum ſequatur conjugi differendo benedictiones? Et an filius a patria poteſtate eximatur etiam quoad odioſa eis receptis? Et an nepos natus aut conceptus ante ſuſceptas a patre benedictiones, & ita ſi ipſo nondum emancipato naſcatur, ſit ſub avi poteſtate? 7.
Quale peccatum ſit, matrimonium ante benedictiones conſummare? 8.
Quibus temporibus eas dari interdicatur: & an tempore interdicti, & ceſſationis a divinis? 9.
Quot ſint quæſtiones diſputandæ, 10.
An attento jure liceat ſecundis nuptiis benedictionem impertiri? Referuntur variæ ſententiæ, n. 11. 12. 13. 14.
Proponitur ſententia Auctoris: & explicatur an mulieri corruptæ ſint benedictiones dandæ, 15.
Explicatur quæ ſit ratio, cur ſecundis nuptiis denegetur benedictio, 16.
An correxerit Tridentinum textus has benedictiones interdicentes, 17.
An ut valeat conſuetudo circa has benedictiones, & cetera ſacramentalia deſideretur ſcientia Pontificis? Refertur duplex ſent. num. 18. 19.
Explicatur Auctoris ſententia, 20.
Quid habeat conſuetudo circa ſecundarum nuptiarum benedictionem? Referuntur varia placita, n. 21. 22.
Proponitur ſententia Auctoris, 23.
An ſtante conſuetudine benedicendi ſecundis nuptiis, ea obliget? 24.
An quando primæ nuptiæ ſunt irritæ, ſit ſecundis benedicendum? Refertur quædam ſententia, 25.
Proponitur ſentent. Auctoris, 26.
An ſacerdos benedicens ſecundis nuptiis in caſu vetito, ſit ſuſpenſus, 27.
An ea ſuſpenſio reſervetur Pontifici, 28.
An ea ſuſpenſio ſit neceſſario ferenda, tamquam ejus delicti pœna ordinaria? Refertur ſententia affirmans, 29.
Contraria Auctoris ſententia, 30.

1 PRæmittendum eſt benedictiones nuptiales, & ritus in ipſis conſuetos convenientiſſime ab Eccleſia adhiberi. Et de his benedictionibus extant teſtimonia *Innoc. I. epiſt. 2. c. 6. Syricii Papæ epiſt. 1. cap. 4. D. Ambroſ. epiſt. 70. ad Vigil. & lib. 1. de Abraham c. ult. Tertulliani lib. 2. ad uxorem, D. Iſidori lib. 2. offic. cap. 19. Concil. Conſtant. contra VVicleſ.* Et tamdem *Trid. ſeſſ. 24. de matrim. can.* 1. damnat anathemate eas improbantes. Quæ quidem inſtitutæ ſunt tum propter ſacramenti dignitatem: tum etiam, quod matrim. ordinetur ad actus valde appetitui carnis conſonos, ac proinde ad eos rite peragendos maxime decuit benedictiones Eccleſiæ præmitti.

2 Secundo præmitto, benedictiones has a proprio contrahentium parocho impendendas eſſe, & a nullo alio, niſi de licentia Ordinarii, vel parochi, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili, vel privilegio. Quod ſi alienus parochus, vel quicumque alius ſacerdos, ſive ſæcularis, ſive regularis, etiamſi id ſibi ex conſuetudine immemorabili, vel privilegio licere contendat, alterius parochiæ ſponſis ſine parochi proprii vel Ordinarii licentia, benedictiones impertiri auſus fuerit, manet ipſo jure tamdiu ſuſpenſus, quamdiu ab ordinario ejus parochi, a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Sic deciditur in *Trid. ſeſſ. 24. de matr. c.* 1.

3 Utrum autem ſuſpenſio hæc incurratur, quando parochus ipſe non benedicit alieno parochiano, ſed dat licentiam benedicendi: & qualis ignorantia excuſet ab illa: & an per hanc ſuſpenſionem a Tridentino impoſitam, ſublata ſit excommunicatio lata in *Clem. 1. de privileg.* contra regulares abſque parochi licentia ſolemnizantes matrimonium? late diximus lib. 3. tota diſp. 48. & 49.

4 Quibuſdam vero placet, non integrum eſſe utriuſvis contrahentis parocho benedictiones has impertiri, ſed id eſſe parochi mulieris. Sic *Zavallos in ſuis pract. q. 604. n. 148.* & refert *Paulum Fuſcum de viſitat. lib. 2. cap. 3. n. 31. & Cavalcanum 2. p. dec. 12. a n. 21.* dicentes ſic deciſum eſſe a Congregatione Cardinalium. Sed exiſtimo ſufficere parochum utriuſvis contrahentis. Quia eodem tenore, & in eadem clauſula petitur in *Trident. ſeſſ. 24. de matr. cap. 1.* ut proprius parochus interſit matrimonio, & ut benedictiones conferat. Sed ad aliud ſufficit parochus utriuſvis contrahentis, (ut probavi lib. 3. diſp. 19. n. 4.) Ergo & ad hoc. Et ita docet *Cenedo collect. ad decret. 81. n. 8.*

5 Quod ſi quæras, quis dicatur proprius parochus, vel ordinarius: & an privilegium bullæ concedat aliquid circa hoc: & an licentia debeat eſſe ſpecialis & expreſſa: & qualis parochus eam concedere valeat: dixi late lib. 3. diſp. 19. & ſeq. uſque ad 38. in matr. Et eadem eſt ratio in his benedictionibus.

6 Eſt autem præceptum recipiendi benedictiones has nuptiales, ut colligitur ex *c. Noſtrates 30. q. 5.* quod eſt ex Nicol. Pontifice ad conſulta Bulgarorum *c. 30. & c. 1. 30. q. 5.* quod eſt ex Evariſto Papa, *epiſt. 1. ad Epiſc. Africæ, & c. Sponſus 30. q. 5.* quod eſt ex *Conc. Carthagin IV. cap. 13.* idque atteſtatur Eccleſiæ conſuetudo. Compelluntur enim ſponſi in omnibus diœceſibus ad eas recipiendas, quod fieri nequiret, ſi ſolum eſſet conſilium. Idque fatentur omnes *DD. ſtatim allegandi cum gloſſa fi. d. c. Noſtrates.* Et quidem eſſe peccatum mortale, ſi ex contemptu omittantur, nullus dubitare poteſt. Eſt enim expreſſa definitio Conc. Conſtantienſ. contra Vvicleſ. Hunc vero contemptum explicat *Barth. a Ledeſma de matrim. dub. 61. poſt 2. concluſ. notabili* 1. non tantum quando adeſt formalis contemptus, ſed etiam quando ita ſe habet quiſpiam, ac ſi non eſſet præceptum. Sed hoc non eſt verum. Nullam enim contemptus rationem video, ubi quis benedictiones omitteret, eo quod non eſt præceptum obligans ſub mortali ad illas recipiendas: vel exiſtimans eas utiliſſimas eſſe, minime reciperet, quaſi præceptæ non eſſent. Sicut nec eſſet contemptus, ſimili modo omittere ſacrum. Quare melius dicunt alii hunc contemptum tunc reperiri, quando quiſpiam perinde eas nihili faceret, ac ſi eſſent res vanæ. Ita *Sotus 5. d. 28. quæſt. 1. art. 2. col. 6. verſ. Poſtremo. Graffis 1. p. dec. lib. 2. cap. 82. num.* 1. Et ita *Navar. ſum. Lat. cap. 22. num. 83.* tunc exiſtimat mortalem eſſe omiſſionem hanc ex contemptu, quando talis eſſet omiſſio cujuslibet conſilii ex contemptu. Et circa ſacramentum Confirmationis omiſſum ex contemptu, docent idem *Victoria ſum.* ubi de confir. *num. 48. Sotus 4. d. 7. quæſt. unic. art. 8. in fine, Enriq. lib. 3. de confirm. cap. 1. num. 6. Suarez 3. p. quæſt. 72. art. 12. diſp. 72. 38. ſect. 1. col. ult.* ubi dicunt contemptum eſſe, quando pro nihilo duceretur id ſacramentum aut effectus ejus. Similiter reputo eſſe contemptum mortalem, quando quiſpiam benedictiones has omitteret, quaſi vile, & puerile exiſtimans, ſe eis ſubjicere, ut de confirmatione loquentes tradunt *Enriq. & Suarez proxime allegati.* Non conſtat autem inter Doctores, an omiſſio harum benedictionum citra contemptum, ut ex mera negligentia, ſit mortalis. Quidam enim eam exiſtimant eſſe mortalem. Et prob. ex *epiſt. Syricii Pontif. ad Pomerium cap. 4.* ubi cujuſdam ſacrilegii inſtar eſſe ait, ſi hujuſmodi benedictiones ulla tranſgreſſione violentur. Item quia ſi de illis ſuſcipiendis eſt præceptum, materia utique gravis eſt, & ideo per ſe loquendo earum obligatio aut debet eſſe ſub mortali, aut omnino

nulla:

nulla: neque eſt dare medium. Quamvis ex accidenti poſſet eſſe venialis, ſi cenſeatur irrationabilis quædam prodigalitas ſpiritualis. Et ita eſſe mortalem, cenſet *VValdenſ. tom. de Sacram. c. 133. n. 3.* Et idem a fortiori cenſent Auctores, quos retuli lib. 3. diſp. 12. num. 1. & 2. aſſerentes eſſe culpam lethalem, conſummare matr. his benedictionibus nondum receptis, nedum illas prorſus omittere. Quamvis autem hæc opinio ſatis ſit probabilis: at probabilius eſt, ſolam venialem culpam in hac omiſſione inveniri. Cum enim non ſint Sacramentum, ſed ſacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti ſacramentalia, quæ Baptiſmo præmittuntur, non video cur earum omiſſio, deficiente contemptu, cenſenda ſit mortalis. Quod ſatis innuit *Sot. 4. diſt. 24. q. 1. a. 2. col. 6. verſ. Poſtrema* & expreſſe docent *Veracruz 1. p. Spec. ar. 12. concl. 2. Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. rubr. gloſ. 1. n. 134. Emm. Sa ſum. verb. matrimonium, in princ. n. 6. Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 61. concl.* 2. Utrum autem infideles conjugati ad fidem converſi teneantur benedictiones has ſuſcipere, dixi lib. 2. diſp. 9. num. 2.

7 Patiuntur vero in hoc regno Hiſpaniæ non modicum detrimentum filii familias conjugati, ſi benedictiones nuptiales non recipiant aut differant. Nam per contractum matrimonii nondum receptis benedictionibus nuptialibus, non eximuntur a patria poteſtate, nec ceſſant in eis illius effectus, & retentio uſusfructus patris in eorum bonis adventitiis, ut conſtat ex *leg. 47. Tauri, hodie l. 8. t. 1. lib. 5. recop. Reg.* & notant univerſi ſcribentes ibi. Quia attento jure communi, per contractum matrimonii non eximebatur filius a patria poteſtate. Atque ita lex illa in hoc jus commune corrigens, ſtricte intelligenda eſt. Cum ergo ad hanc exemptionem, copulative petat matrimonium, & ſuſceptionem benedictionum Eccleſiæ, ibi, *Caſado y velado*, non ſufficiet ſolum matr. At illis receptis manet filius omnino ſui juris. Et quamvis quidam eam legem intelligant, ut maneat omnino ſui juris in iis, quæ ipſi filio favorabilia ſunt, & utilis eſt ei talis exemptio. Secus in odioſis, ubi talis exemptio eſſet ei damnoſa, & gravis: in his enim manet intra patriam poteſtatem. Sicut in exemptione ratione dignitatis a patria poteſtate diſtinguunt omnes, quia non eſt major ratio de una, quam de alia. Et utraque in filiorum favorem inducta eſt: atque proinde non debet eſſe eis damnoſa, & gravis. Ita opinantur *Suarez l. Flori, tit. 11. lib. 9. n. 23. verſ. Conſidera ultra, Meres de majoratu, in 1. edit. 4. p. q. 1. limitat 1. n. 5. Baraboña additionib. ad Joan. Lup. ſtatim allegand. Boſchius, & Pyrrhus,* quos refert *Baeza de non melior. filiab. cap. 16. nu. 35.* ipſe tamen dubius manet. At multo verius eſt, in omnibus eximi a patria poteſtate. Id enim expreſſe cum hac generalitate decidit illa lex: quod in exemptione ratione dignitatis non ita deciſum reperitur. Et ita docent *Joan. Lupus rubr. de donat. inter vir. & uxor §. 43. nu. 2. Caſtill. l. 47 Taur. nu. un. verb. Por emancipado, & ibi Ant. Gomez num. 3. Gutier. in rep. de hæredum qualitate, §. Sui, num. 121. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. lib. 8. gl. 3. n. 1. Azebedo ead. l. 8. n. 50. Grat. reg. 198. n. 2.* Et idem innuit *Gomez Arias l. 47. Tauri, nu. 77.* Quod ſi naſcatur proles ex filio conjugato ante ſuſceptas Eccleſiæ benedictiones, naſceretur ſub avi poteſtate, ut bene docent *Ant. Gomez ea. l. 47. in fine, Matienzo dict. gl. 3. num.* 1. Imo idem erit, ſi filius concipiatur ante emancipationem patris per matr. cum Eccleſiæ benedictionibus, licet naſcatur illis jam ſuſceptis, & ſic patre emancipato: is enim filius naſcetur ſub avi poteſtate, & ſub illa manebit ſemper, donec ipſe emancipetur, quamvis poſtea pater recipiat benedictiones Eccleſiæ, & ſic emancipetur. Quia per illas benedictiones cautum eſt *dict. leg. 47. Tauri*, filium eximi a patria poteſtate, non autem nepotem conceptum ex filio nondum emancipato, & ſic ſemel ſub avi poteſtate natum. Sicut natus ex ancilla, & ſic ſemel ſervus effectus, talis manebit, libertate poſtea matri donata. Et conſtant hæc ex *§. Illud autem, Inſt. Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvatur*, ibi: *Illud autem ſcire oportet, quod ſi nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium poſtea emancipaveris, adoptionem dederis, nihilominus quod ex ea naſcitur, in poteſtate tua naſcitur.* Ubi *Angelus ſtatim in prin. notabili 1. & num.* 1. inde infert, quamvis favore libertatis, ut proles libera naſcatur, inſpiciatur tempus conceptionis ſeu nativitatis, ſufficiatque alterutro matrem eſſe liberam, ut proles libera ſit: at ut cognoſcamus in cujus poteſtate naſcatur filius, ſolum conceptionis tempus ſpectari.

8 Quod ſi quæras, quale peccatum ſit conſummare matrimonium ante ſuſceptas Eccleſiæ benedictiones; dixi late lib. 3. tota diſp. 12.

9 Similiter quibus temporibus interdicatur ſuſceptio harum benedictionum, & quid tunc prohibeatur: & an liceat eas ſuſcipere tempore interdicti & ceſſationis a divinis, dixi hoc lib. 7. tota diſp. 7. & 8.

10 Quatuor autem quæſt. diſcutiendæ ſunt in præſenti diſp I. quid jure Eccleſiaſtico ſancitum ſit circa ſecundarum nuptiarum benedictiones. II. quid uſu ſervetur, & an Summi Pontificis approbatio deſideretur, ut is vim habeat: III. quid, quando priores nuptiæ in quibus benedictio collata eſt, reperiuntur irritæ? IV. quam pœnam incurrat Sacerdos ſecundis nuptiis benedictionem impertiens?

11 QUÆSTIO I. An jure Eccleſiaſtico attento, liceat ſecundis nuptiis benedictionem impertiri? Varias in hac reperio opiniones. I. ait ſecundis nuptiis, quæ tales ſunt ex parte utriuſque conjugis, aut ex parte ſolius feminæ non eſſe benedictionem impendendam, ſecus ſi ſint ſecundæ ex parte ſolius viri: ac proinde licitam eſſe benedictionem, quando virgo nubit viduo. Ratio hujus ſententiæ ea eſt, quod ideo interdicatur ſecundarum nuptiarum benedictio, quia deficiunt a plena Sacramenti ſignificatione, cum in eis non ſit unica ſponſa unius ſponſi, ut contingit in matrimonio Chriſti cum Eccleſia. At dum ſecundæ nuptiæ, ex parte ſolius viri ſunt, licet non reperiatur plena Sacramenti ſignificatio, non tamen omnino ab ea deficiunt: ſed aliqualis ſignificatio Sacramenti in eis invenitur. Quia etſi Chriſtus unicam ſponſam habeat, ſunt tamen in Eccleſia una plures animæ deſponſatæ: at anima nequit eſſe alterius ſponſa, quam Chriſti. Hanc ſententiam tuentur *D. Th. 4. diſt. 42. q. 3. a. 2. ad 2. D. Bonav ibi, a. 3. q. 2. ad finem, Turrecrem. cap. fin. art. 1. num 2. & 3. 31. quæſt. 1. Sylv. verb. Nuptiæ, quæſt. 2. Alber. in ſuo dictionario lit. N. verb. Nuptiæ, Viguerius l. Inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 13. Petr. de Ledeſm. de matr. quæſt. 63. art. 2. ad fi.* Et hujus etiam ſententiæ videtur *Navar. ſum. Hiſp. cap. 25. num. 137.* ubi abſolute dixit peccare Sacerdotem, qui ſecundis nuptiis, quando tales ſunt ex parte feminæ, benedictionem impertitur. Et *Menochius de arbitrar. lib. 2. centur. 5. caſu 417. fi.* relata hac ſententia, anceps manet, atque de ejus veritate deliberandum relinquit. Et quidem *Sylv. verb. Nuptiæ q.* 2. explicat hanc ſententiam eſſe veram attento jure, & ſecluſa quacumque conſuetudine. Et *quæſt. ultim.* licet neuter conjux in priori matrimonio benedictiones ſuſceperit. Et eodem modo illam intelligit *Tabiena loco n. 3. allegando.* Et vere ratio hujus ſententiæ id probat. Non enim innititur benedictioni ſemel ab alterutro aut ab utroque conjuge acceptæ, ſed bigamiæ, & defectui ſignificationis plenæ Sacramenti, qui ſemper invenitur in ſecundis nuptiis ex parte utriuſque, aut ex parte ſolius feminæ, etiam ſi nunquam benedictiones receptæ ſint. Et poteſt id probari ex *cap. Vir, de ſecund. nupt.* quod interdicens ſecundarum nuptiarum benedictionem, expreſſe ponderat bigamiam, ideſt, defectum ſignificationis Sacramenti, ibi: *Vir autem vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet a presbytero benedici.* Et quamvis ſtatim textus ſubjungat rationem, ne iteretur benedictio; at prior ratio præſtantior videtur.

12 Secunda ſententia ſuſtinet, jura interdicentia ſecundarum nuptiarum benedictionem, intelligi durantibus primis, quare illis diſſolutis morte alterius conjugis, vel ob aliquod impedimentum, licitam eſſe benedictionem. Ducitur, quia cum benedictio hæc Sacramentum minime ſit, nil obſtat quin iterari poſſit. Hanc ſuſtinet *lex Regia 2. t. 12. p. 4. & ibi Gregor. Lopez verb. Non debent.*

13 III. Sent. ſuſtinet, attento jure nullis ſecundis nuptiis benedictionem conferendam eſſe, ſive ſint ſecundæ ex parte utriuſque conjugis, ſive ex parte alterutrius, quod *cap. Vir, de ſecund. nupt.* interdicens hanc benedictionem innitatur bigamiæ, nec diſtinguat ex parte cujus ſint 2. nuptiæ. Sic *Tabiena verb. Impedim. imped. 14 q. penult. & ſtatim q. ult.* intelligit eum textum, licet in primis nuptiis neuter benedictionem accepiſſet. Eamdem videntur tenere *Manuel 1. to. ſum. 2. edit. cap. 241. fine, & Vega 2. to. ſum. c. 34. caſu 179. fin.* ubi abſolute ajunt interdici ſecundarum nuptiarum benedictionem, quamvis ex parte unius tantum conjugis ſecundæ ſint.

14 IV. Sent. ait, ſolum interdici benedictionem, quando ſunt ſecundæ nuptiæ ex parte mulieris, cui ſemel benedictio impertita fuit. Quia tota ea benedictio videtur reſpicere mulierem, quare ab ea ſemel ſuſcepta non debet iterari. Sic *Durand. 4. diſt. 42. qu. 3. in fine corp.*

15 Ceterum verior ſent. habet ſic diſtinguendum eſſe: Si uterque vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem acceperit, non eſt 2. nuptiis benedictio impertienda, ſecus autem ſi neuter conjux in 1. nuptiis benedictionem acceperit. Prob. ex *cap. Vir, de ſecund. nupt.* ubi: *Vir autem vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet a presbytero benedici. Quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.* Ubi textus non ponderavit, ſive nuptiæ ſint ſecundæ ex parte viri, ſive ex parte feminæ, ſive ex parte utriuſque, ſed ſolam benedictionem in prioribus nuptiis acceptam, ne ea iteretur. Et loquitur disjunctive, *Vir vel mulier* (Sic enim habetur in Decretalibus Gregorianis emendatioribus) Ergo ubi alteruter illam accepit in priori conjugio, prohibetur tantummodo ejus iteratio. Nec obſtat textum dicere in plurali, *Quia cum alia vice benedicti ſint*, & ſic videtur petere utriuſque in primis nuptiis benedictionem. Cum enim præmiſiſſet, *Vir, vel mulier*, uſus eſt numero plurali, ut vel ſic comprehendat utrumque conjugem, quaſi dicat, ſive vir ſive mulier benedicti ſint. Nec obſtat etiam textum dicere, *Vir vel mulier ad bigamiam tranſiens*, non enim bigamiæ innititur, ut ratio ſtatim in textu ſubjuncta demonſtrat. Sed ſenſus eſt, *Ad bigamiam tranſiens*, ideſt, ad 2. nuptias, ut optime explicant *Hoſt. ſum. t. de ſec. nupt. n. 3 verſ. Sed contra, in fine, & Henr. d. c. Vir, n. 7.* & ita quod *eo. c. Vir* dicitur *Ad bigamiam tranſiens*, explicatur *cap. 1. eo. tit.* quando ſecundum initum eſt matr. Quod amplius conſtabit ex vera ratione deciſionis hujus textus, quam n. ſeq. trademus. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent *Hoſt. ſum. t. de ſec. nupt. n. 3. verſ. In aliquibus, & d. c. Vir, nu. 2. verb. Benedicti, & ibi Jo. And. n. 2. Ant. n. 6. & 8. Card. nu. un. qu. un. Abbas n. 3. Anch. n. 1. & in fi. Præpoſ. n. 1. ſuper 2. Gloſſam & n. 2. Alex. de Nevo n. 7 & 8. Henric. n. 2. & 7. Roſella verb.*

Nuptiæ

Nuptiæ n. 1. *& 2. & ibi Suppl. Piſanæ in fi. Angel. ibi num. 2. Armill. v. Matrim. num.* 71. *Bernard. Diaz in ſua pract. can. in 2. edit. c.* 47. *nu.* 1. *Navar. ſum. Lat. cap.* 22. *n.* 83. *Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 11. n. 2. fin. Perez l. 5. ordinam. t* 1. *l. 5. col.* 4. Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 42. q. 3. a. 1. concl. 2. n. 6. & ibi Supplem. Gabr. q. 2. a. 1. concl. 3. Veracr. 1. par. Spec. a. 13. paulo poſt princ. Enriquez l. 11. de matr. c. 16. n. 2. Valentia 4. p. diſp. 10. qu. 6. punct. 1. ad fin. verſ. Deinde etiam. Emman. Sa ſumm. verb. Benedictio, n. 2. Philiarc. de offic. Sacerd. tom.* 1. *p. 2. lib. 4. c. 19. verſ. 5. fin. Graffis 1. p. dec. l. 2. c. 82. num.* 2. Et hoc habet verum, licet mulier ſit corrupta. Quia ſolæ ſecundæ nuptiæ ponderantur, *d. c. Vir.* Sic *Alex. de Nevo ibi n. 8. & Præpoſ. n.* 2.

16 Sed non conſtat inter hos DD. quæ ſit ratio hujus prohibitionis. Quibuſdam placet eam eſſe rationem, ut continentia ſuadetur relictis ſecundis nuptiis. Ita *Goffr. ſum. t. de ſecund. nupt. n.* 2. Sed merito ab ea diſcedit *Hoſt. c* 1. *n. 1. eod. t.* Quod ſecundæ nuptiæ jure ipſo Pontificio non improbentur. *gl. c. Vir, v. iterari, de ſecund. nupt.* ait rationem eſſe, ne Sacramenta iterentur, quam omnes improbant. Tum, quia ea benedictio non eſt Sacramentum: tum etiam, quia ſola Sacramenta imprimentia characterem numquam poſſunt iterari. Aliam rationem retuli ex D. Th. & quibuſdam aliis nu. 11. ſed ab ea receſſi n. præced. Alii cauſam eſſe aſſeverant, quod benedictio ſemel accepta permaneat, ut conjux, cui impertita eſt, illam communicet conjugi ſocio illa carenti. Sicut aqua benedicta addita non benedictæ reddit totam per communicationem benedictam, *c. Quod in dubiis, de conſecr. Eccl.* Et probatur ex *d. c. Vir*, ibi: *Quia cum alia vice benedicti ſint*, ubi ambo benedicti appellantur, cum tamen ille textus intelligatur, quando alter benedictionem recepit, (ut n. præced. probavimus.) Sic *Ant. eod. cap. Vir, in fine, Hoſt fin. Jo. Andr. n. 2. Anch. n. 2. Idem Hoſtien. ſum. t. De ſecundis nuptiis, n. 3. verſ. In aliquib. Menochius de arbitr. l. 2. cent. 5. caſu 417. n.* 7. Sed jure optimo hanc rationem improbant *Abbas eo. c. Vir, n. 3. & Alex. de Nevo ibi n. 4. Sylveſt. verb. Nuptiæ, q. 2 fin.* Quia licet vir communicet uxori actiones ſpirituales, juxta *c. Martinus, de cogn. ſpirit.* non tamen communicat paſſiones, ut tradunt ibi DD. Item, quia tunc habet id verum, quando res commiſtæ fiunt una numero res, ut contingit in commixtione aquæ. Quod ſecus evenit in viro & uxore, qui per matrimonii conſummationem efficiuntur una caro, non vere, ſed per metaphoram, ac ſimilitudinem. Quare vera ratio eſt, ne iteretur benedictio in perſona ſemel benedicta, cum in illa benedictio maneat, & neuter conjux abſque altero benedici valeat. Dedecere enim videtur, ut ſolemnes rerum aut perſonarum benedictiones, quales ſunt conſecratio Eccleſiæ, altarium, virginum, nuptiarum, in eadem perſona iterentur, ne vilipendantur. Atque ita eam rationem reddidit textus. Nec dixit in numero plurali, *Quia cum alia vice benedicti ſint*, quaſi benedictio unius alteri communicetur. Sed ad comprehendendum, ſive vir, ſive mulier benedictionem receperint, (ut n. præc. explicui.) Et ideo hanc rationem tradunt *Abbas, & Alex. de Nevo proxime allegati, Durand. 42. q. 3. in fi. corp. Roſella v. Nuptiæ, n. 1. Bernard. Diaz, Navar. & Valentia nu. præced. allegati, Montalvus lib. 2. fin. c. 12. p. 4. Bellarm. lib. 1. de matr. c. 9. col. 2. verſ. Ad id quod objicitur.*

17 Nec textus interdicentes ſecundarum nuptiarum benedictionem, quando in primis alterutri conjugi impertita eſt, corriguntur per *Trid. ſeſſ. 24. de matr. c.* 1. ubi ſimpliciter conſtituitur nuptiis eſſe benedicendum: intelligitur enim de primis, aut ſi de ſecundis, in caſu non prohibito per jus can. Sic *Menochius de arbitr. lib. 2. centur. 5. caſu 417. n. 3. Zavallos in ſuis qu. pract. q. 604. n.* 134.

18 Quæſtio II. Quid liceat attenta conſuetudine, circa ſecundarum nuptiarum benedictionem? Et primo quidem de hujus conſuetudinis valore differendum eſt. Deinde, quid de facto conſuetudo obtineat. Aliqui cenſent deſiderari ſcientiam hujus conſuetudinis in Pontifice Summo, & tacitam permiſſionem, quæ ex ejus taciturnitate, & patientia præſumitur. Ducuntur, quia licet ea ſcientia non deſideretur, ut in reliquis conſuetudo vim habeat derogandi legi: id tamen fallit in ſacramentalibus, qualis eſt nuptiarum benedictio, in quibus conſuetudo legitima Pontifice ejus ignaro induci nequit. Quod probatur ex *Clem. fi. de ætate, & qual.* ubi Clem. V. decernens ætatem Ordinibus ſuſcipiendis neceſſariam, ſic ait: *Generalem Eccleſiæ obſervantiam, volentes antiquis juribus in hac parte præferri: Decernimus.* Ubi eſt novum jus, & non declaratio antiqui, ut notat *ibi gloſ. verb. Decernimus.* Et dicit *In hac parte.* Ergo excepto eo caſu non valet conſuetudo quantumvis generalis: & illo valet quod ſic ſtatuerit ibi Pontifex. Ita tradunt *gloſ. c. Vir, in fine, de ſecund. nupt. & ibi Ant. n. 7. Abbas in fine, Præpoſ. n. 3. & 5. Alex. de Nevo n. 8. & c. Accedentes, n. 13. de præſcript. & c. Super eo, n. 19. de cognat. ſpir. Ricard. 4. diſt 42. a. 3. q. 2. corp. Roſella, v. Nuptiæ, n. 2. Sylv. v. Conſuetudo, qu. 7. Lancelotus inſtit. juris can. lib. 2. tit. de divortiis, in fine.* Et addit *Alex. de Nevo eo c. Super eo, n.* 19. hoc eſſe verum, quamvis ea conſuetudo ſit generalis. Quamvis *Imol. d. Clem. fi. n. 1. notab.* 1. ſuſtineat hanc ſent. quando conſuetudo eſt particularis alicujus Eccleſiæ, ſecus ſi ſit generalis.

19 Aliis vero placet non ſufficere Pontificis ſcientiam cum taciturnitate, ſed deſiderari illius approbationem ex certa ſcientia. Sic volunt *Hoſt. ſum. t. de ſecund. nupt. num. 3. verſ. In aliquibus, & c. Vir, num. 2. eo. t.* ubi *Henr. num. 2. & cap. 1. de ſponſ. in fin.*

20 Sed verius eſt, nec in ſacramentalibus deſiderari ſcientiam Pontificis, ſed poſſe eo ignorante legitime induci, quæ legem aboleat, atque ab ejus tranſgreſſionis culpa excuſet. Quia textus *c. fin. de conſuet.* decidit generaliter conſuetudinem rationi conſentaneam vim obtinere cujuſcumque legis deſtruendæ: nec petit ſcientiam Pontificis: nec major diſcriminis ratio invenitur circa ſacramentalia. Et ita *Rochus de Curte, c. fi. de conſuetud. ſect. 4. n.* 27. ait ſe dubitare de prædicta limitatione, & in partem contrariam valde inclinat. Et expreſſe noſtram ſent. tuentur *Palud. 4. d. 42 q. 3. a. 1. concl. 3. n. 7. & ibi Suppl. Gabr. q. 2. a. 2. concl. 3. fi. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. § 10. n. 19 Gaeta repetit. c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 550. Lud. Lop. 2 p. inſtr.* ubi de matr. *cap. 46. col. 6. verſ. Deinde dubitare.* Et favet *Tabien. v. Impedim. imped. 14. fin.* ubi ait ſervandam eſſe circa has benedictiones conſuetudinem, & maxime quando ſcitur a Pontifice, & non prohibetur. Favet etiam *Angelus v. Nuptiæ n. 2. Armil. v. Matr. nu. 71. Navar. ſum. Lat c. 22. n. 83 Enriq. l. 11. de matr. c. 16. n. 2. & c. 2. n. 3. in comm. lit. G. Emm. Sa ſum. v. Benedict. n. 2. Manuel 1. to. ſum. 2. edit. c. 241. fi. Vega 2. to. ſum. c. 34. caſ. 179. fine*, ubi abſolute docent ſervandam eſſe conſuetudinem circa has benedictiones, non limitantes, ſi a Pontifice nota ſit. Et ad *Clem. fi. de ætat. & qualit.* cui innititur oppoſita ſent. n. 18. relata, poteſt reſponderi, cum Pontifex poſſit eam conſuetudinem abrogare, atque antiquum jus ad ſuam priſtinam vim reſtituere, voluiſſe non abrogare, ſed ut ea ſervaretur: & hoc eſt quod ait, *Volumus*, quaſi dicat, nolumus abrogare, ſed volumus ut ſervetur: & quod ait, *in hac parte*, eſt quaſi dicat, non eſſe conſuetudinem circa alia, ac proinde circa alia non derogari legi, ut bene explicat *ibi Bonifac. n.* 10. Quod autem ait, *decernimus*, nil aliud eſt quam confirmatio conſuetudinis, quæ licet vim antea haberet, poterat denuo a Pontifice aboleri.

21 Hoc ergo præmiſſo dubitatur quid obtinuerit conſuetudo circa ſecundarum nuptiarum benedictionem? Qua in re quidam dicunt conſuetudine quaſi ubique ſervari, ut ſecundis nuptiis, quæ tales ſunt ex parte utriuſque conjugis, aut ſolius mulieris, benedictio minime conferatur: ſecus ſi ſolum ſint ſecundæ ex parte viri. Ita *Tabien. verb. Impedim. imped. 14. n. 5. q. penult. & ſtatim q. ult. ad fi.* ait hoc ita ſervari quamvis in priori matrimonio benedictio ſuſcepta eſſet a viro illo. Alii hoc idem dicunt conſuetudine ſervari, non explicant tamen an præceſſerit benedictio in primis, necne. Sic *gloſſ. c. vir, in fi. & ibi Henricus n. 5. de ſecund. nupt. Ricard. 4. d. 42. a. 3. qu. 2. corp. Aſtenſ. 2. p. ſum. lib. 8. t. 32. a. un. q. 6. Armil. verb. Matrimonium n. 71. Petr. de Ledeſma de matr. q. 63. a. 2. ad fin.*

22 Alii vero dicunt praxi receptum eſſe, ne ſecundis nuptiis benedictio impertiatur, ſi uterque conjux aut femina ſola benedictionem in priori conjugio recepiſſet: ſecus ſi femina ſola minime ſuſcepiſſet. Quam ſententiam concordare omnino credo cum præcedenti: ſic enim exiſtimo DD ibi allegatos intelligere. Nam quando priores nuptiæ omnino benedictione deſtitutæ fuerant, non erat curandum de conſuetudine benedicendi ſecundis nuptiis. Cum ipſummet jus in eo eventu benedictionem permittat, (ut probavi nu. 15.) Ita tenet *Roſella verb. Nuptiæ, n. 7. Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 11. nu. 2. Salzedo addit. ad pract. Bernardi Diaz c. 74. ſuper verb. Iterari.*

23 Tandem alii cenſent, conſuetudine ſervari, ut ſemper conferatur benedictio ſecundis nuptiis, qualitercumque ſint ſecundæ, ubi alteruter conjux benedictionem minime ſuſcepit, ſive ſit vir, ſive femina: ac proinde attenta conſuetudine hodierna, ſolam ſecundarum nuptiarum benedictionem interdici, quando uterque conjux illam ſuſceperat in alio conjugio. Cujus conſuetudinis ea eſt ratio, quod in alio eventu, non cenſeatur proprie ea benedictio iterari, cum per ſe ſolum impendatur ratione conjugis nunquam benedicti: & per accidens ratione ſocii, ne ille benedictione deſtitutus maneat: & cum illi abſque ſocio, quem matr. neceſſario deſiderat, conferri nequeat, datur etiam ſocio. Quæ conſuetudo approbata eſt in *Extrav. Concertationi, Jo. XXII.* nondum typis excuſa, quam refert *Perez l. 5. ord. c. t. 1. l. 5 col.* 4. ibi, *Concertationi antiquæ finem imponere cupientes, præſenti declaramus edicto, quod licet vir, vel mulier ad ſecundas nuptias tranſiens benedici non debeat, cum alias ſit benedictus: contrahens tamen ſecum benedici debebit. Quia ſi forſitan alter eorum vel ambo ad ſecundas nuptias tranſeuntes, in primis benedicti non fuerunt, danda erit benedictio in ſecundis.* Sic ajunt ubique ſervari *Enriq. l. 11. de matr. c. 2. n. 3. in comm. litt. G. & c. 16. nu. 2. Bart. a Led. de matr. dub. 63. fi.* Atque *Veracr. de matr. 1. p. Specul. a.* 13. ad finem dicit ſervari in aliquibus locis, ut in India, & in diœceſi Hiſpalenſi. Et *Perez proxime alleg.* aſſerit etiam in aliquibus locis ita ſervari. Et hoc ſervandum eſſe cenſeo, quod hæc extravagans jus conſtituat: at in dubio jus ſervandum eſt, dum non conſtat de contrario præcepto conſuetudine inducto.

24 Ea autem conſuetudo ut ſecundis nuptiis benedictio impendatur, ubi alter ſolus conjux in primis benedictionem accepit, quamvis excuſet a tranſgreſſione juris communis, *c. Vir, de ſecund. nupt.* interdicentis eam benedictionem: at non inducit præceptum, ſed poſſunt tunc benedictiones omitti juxta juris communis præſcriptum. Quia non eo rigore inducta eſt, ut obligationem pariat. Sic *Enriquez lib. 11. de matr. c. 2. n. 3. in comment. lit. G. & c. 16. n.* 2.

25 Quæſtio III. An quando priores nuptiæ, in quibus uterque conjux benedictiones accepit, reperiuntur irritæ, ſint in poſterioribus repetendæ? Videtur pars affirmans vera. Cum enim

enim priores irritæ fuerint, perinde eſt, ac ſi benedictiones illis impenſæ non eſſent, *Tabien. verb. Impedimentum, imp. 14. q. fi.* ſic diſtinguit, ſi ex parte ſolius viri ſint ſecundæ nuptiæ, quia vir qui benedictiones in matr. irrito receperat, virginem ducit, ſunt iterandæ benedictiones. Secus ſi ſint ſecundæ ex parte mulieris, quæ in priori conjugio irrito benedictiones recepit. Quod quantum eſt ex parte ipſius, ſecundo contraxerit, atque ita non ſervatur perfecta Sacramenti ſignificatio.

26 At dicendum eſt, non eſſe repetendas: ſicut non iterarentur, quando fuiſſent priores nuptiæ validæ, in quibus ambos volentes contrahere reperitur benedictiones accepiſſe: ſive ſint iidem, qui inter ſe invalide contraxerant, & ſublato jam impedimento velint reſtaurare prius illud matrimonium: ſive uterque aliud matrimonium irritum injiſſet receptis benedictionibus, & nunc inter illos aliud matrim. celebretur (quamvis enim Doctores, quos referam, non ita diſtincte hoc explicent, ſed generaliter & indiſtincte afferant obſtare benedictionem in primis nuptiis irritis collatam, ejus repetitioni in ſecundis. At ratio, cui innituntur, in utroque caſu idem probat: idem quoque ipſi clare ſentiunt: cum indiſtincte loquantur) Ratio autem eſt, quod benedictio non proprie reſpiciat nuptias, ſed perſonas: nec ſemel recepta admittatur. Nec obſtat, ſi dicas deficienti principali deficere quoque acceſſorium, *l. Cum principalis, ff. de reg. juris.* At benedictiones ſunt acceſſoriæ matrimonio. Sed dic tunc eam regulam eſſe veram, quando veritas acceſſorii pendet ex principali, quod hic non contingit: nam benedictio non proprie impenditur nuptiis, ſed perſonis, ut conſtat ex *c. Vir, de ſecund. nupt.* ubi interdicitur benedictio ſecundarum nuptiarum, ubi ſemel ab altero conjuge recepta eſt, ne repetatur benedictio. At ſi nuptiis proprie benedictio impertiretur, non diceretur repetita in ſecundis, quæ prorſus diverſæ ſunt. Cum ergo benedictio proprie reſpiciat perſonas, & non nuptias, licet nuptiæ irritæ fuerint, benedictio ſuum valorem, & effectum ſortita eſt. Nec obſtat etiam intentionem prioris benedictionis defeciſſe; quia etſi intentio nuptiarum deficiat, non tamen intentio benedictionis. Quia eam impertiens, & recipiens, intentionem habuerunt: & benedictio valida fuit. Quare hanc partem defendunt *Hoſtienſ. ſum. t. de ſecund. nupt. n. 3. verſ. Sed contra, Henr. cap. Vir, num. 5. eod. t. Palud. 4. d. 42. qu. 3. ar. 1. concl. 2. num. 6. & ibi Supplem. Gabr. quæſt. 2 art. 2. concl. 3. Roſel. verb. Nuptiæ n. 3. & ibi Silv. q.* 3.

27 Quæſtio ultima. Quam pœnam incurrat ſacerdos benedictionem ſecundis nuptiis impertiens in caſu non permiſſo? De hac re *Alex. III. cap. 1. de ſecund. nupt.* ſic ſtatuit. *Capellanum, quem benedictionem cum ſecunda conſtiterit celebraſſe, ab officio beneficioque ſuſpenſum, cum litterarum teſtimonio, ad Sedem Apoſtolicam nullatenus deſtinare poſtponas.* Quæ ſuſpenſio non eſt lata, ſed a judice ferenda. Quia non habetur in illo textu eum Sacerdotem eſſe ipſo jure ſuſpenſum, ſed præcipitur Epiſcopo ut ipſum ſuſpenſum remittat abſolvendum ad Pontificem. Quaſi dicat: Ipſum ſuſpende, & ubi ſuſpenderis, a ſolo Pontifice poteſt abſolvi. Atque ita docent *Ant. eo. c. 1. n. 4. Abb. n. 5. Alex. de Nevo num. 5. Præp. n. 1. ſtatim in princ. Henr. fi. Palud. 4. d. 42. q. 3. ar. 1. num. 8. concl. 4. Roſel. v. Nuptiæ num. 5. & ibi Angelus fi. Silv. q. 1. Bern. Diaz pract. can. edit. nova cap. 74. num. 2. & ibi, Salzedo in addit. v. Secundum communem, Nav. ſum. Hiſp. c. 25. n. 137. Covar. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 11. n. 2. Veracr. 1. p. Spec. ar. 13. fin. Jul. Clar. lib. 5. receptarum in pract. crim. §. fin. q. 74. num. 2. Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 5. col. 5. verſ. Intelligas, Enriq. l. 11. de matr. cap. 16. nu. 2. Manuel 1. t. ſum. 2. edit. cap. 541. fin. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 63. ar. 2. ad fin. Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 63. concl.* 2. Unde non ſunt audiendi *Jo: Andr. d. c. 1. n. 1. v. Suſpenſum, & Durand. 4. d. 42. q. 3. in fin. corp.* explicantes eam ſuſpenſionem ipſo jure incurri.

28 Reſervatio quoque talis ſuſpenſionis ad Sedem Apoſtolicam, jam ſublata eſt, per *Extrav. Concertationi, Joan. XXII.* nondum typis excuſam, cujus meminimus n. 23. Ita docent *Covar. Perez, Veracr. Salzedo, verb. Ad Sedem Apoſtolicam, Petr. de Led. Barth. a Ledeſm. n. præced. relati.*

29 Sed controvertitur inter DD. an ea pœna ſuſpenſionis infligenda clerico benedictionem impendenti ſecundis nuptiis, in caſu non permiſſo, ſit pœna ordinaria ejus criminis, ita ut judex Eccleſiaſticus teneatur eam imponere clerico ejus criminis reo? Quibuſdam placet eam pœnam imponi benedictioni ſecundarum nuptiarum jure interdictæ, atque adeo eſſe pœnam ordinariam ejus criminis. Quod textus *c. 1. de ſecund. nupt.* eam pœnam indicens loquatur clare de clerico ſecundis nuptiis benedicenti: nec verbum in eo textu reperiatur indicans ſermonem in illo eſſe de clerico benedicenti ſecundis nuptiis, quando primæ non ſunt diſſolutæ (ut volunt contrariæ ſententiæ patroni. Ita tenent *Palud. Silv. Barth. a Ledeſ. Petr. de Led. n. 27. allegati*, & videtur tenere *Cov. 4. decr. 2. par. c. 8. §. 11. n.* 2. hanc enim ſent. refert in ultimo loco.

30 Ceterum frequentior ac verior Doctorum ſentent. eſt, eam ſuſpenſionem eſſe pœnam ordinariam hujus delicti, ſed jure non eſſe ſtatutum pœnam ſacerdoti benedictionem impertienti ſecundis nuptiis legitime initis, nec *c.* 1. eam ſuſpenſionem indicens, intelligi in hoc caſu: quare pœnam arbitrariam imponendam eſſe, attentis circumſtantiis, quæ gravius aut levius reddunt delictum, Ducitur, quod pœna commenſurari debeat gravitate delicti, at non eſt adeo grave delictum, benedictio ſecundi matrim. legitime contracti, ut tanta pœna dignum ſit, quanta eſt ſuſpenſio ab officio & beneficio Sedi Apoſtolicæ reſervata. Non ergo credendum eſt, *cap. 1. de ſecund. nupt.* eam pęnam imponens intelligi in hoc caſu. Et ita docent *Abb. ibi n. 5. Ægydius & Bonaguida*, quos refert ac ſequitur *Alexand. de Nevo ibi num. 5. & 6. Præp. nu. 1. notab. 3. & 4. Roſella v. Nuptiæ, n. 5. Tab. v. Imped. imped. 14. q. penu. Bern. Diaz pract. in nova edit. c. 74. n. 2. & ibi Salzedo in addit. v. In hoc delinquens, Nav. ſum. Hiſp. c. 25. n. 137. Conrad. in templo omnium judicum, l. 2. c. 12. nu. 21. Menoch. de arbit. l. 2. cent. 5. caſu 417. num. 8. Perez l. 5. ord. t. 1. l. 5. col. 5. verſ. Intelligas. Zav. in ſuis pract q. 604. nu. 135. Manu. 1. tom. ſum. 2. edit. cap. 241. fi. Graffis 1. p. dec. l. 2. c. 82. n. 2. Vega 2. tom. ſum. c. 34. caſu 179. fin.* Unde poterit judex hujuſmodi clericum ſuſpendere, ſicut poteſt alia pœna arbitraria punire. Cum jus non imponat præciſe ſuſpenſionem. Sic *Nav. eo. n.* 137. Quare textum *d. c.* 1. imponentem ſuſpenſionem, intelligunt *ibi Jo: And. 1. v. Suſpenſum, Ant. n. 3. Præp. n. 1. notab. 3. & 4. Alex. de Nevo num. 6. Angelus v. Nuptiæ, in fin. Bernard. Diaz, & Mem. num. 9. proxime alleg. Lex reg. 2. t. 12. p. 4. & ibi Greg. Lop. v. Entendieſe*, quando impenditur benedictio ſecundis nuptiis, nondum diſſoluto priori matrimon. ſed initis priori conjuge ſuperſtite. Alii autem reſpondent, eſto intelligeretur de benedictione ſecundi matrim. legitime contracti, Pontificem eam pœnam ſtatuiſſe in facto illo ſpeciali: nec conſtitutum ibi jus eſſe, ut ea ſit pœna ordinaria hujus delicti. Sic *Abb. eod. c. 1. n. 15. Alex. de Nevo ibi, n. 6. referens Jacobum de Zochis.*

DISPUTATIO LXXXIII.

Quid, ac quotuplex ſit bigamia: & qualiter ex vera bigamia irregularitas oriatur?

SUMMARIUM.

Bigamiæ irregularitas cur inducta ſit, & cur dicatur ex defectu Sacramenti oriri? n. 1.
Quotuplex ſit ſpecies bigamiæ, 2.
Non incurritur bigamia per multiplicem concubinatum, deficienti matrimonio de jure vel de facto inito, 3.
Nunquam bigamia incurritur abſque copula, 4.
Reprobatur quædam ſententia contraria, 5.
An deſideretur in copula illa ſeminis effuſio intra vas, atque ſemen feminę? 6.
An ſit bigamus, ducens eam quæ ab alio corrupta eſt, non tamen recepto ſemine: vel quæ integra manens ſemen virile receperit, aut extraordinarie ſodomitice cognita eſt? 7.
An matrimonium ante Baptiſmum initum conferat ad bigamiæ irregularitatem, ita ut ea non deleatur per Baptiſmum? Refertur quædam ſententia, 8.
Proponitur ſententia Auctoris, 9.
Quid, ſi bigamia illa contracta ſit ratione delicti? 10.
Satisfit argumentis, 11.

1 Bigamiæ irregularitas appellatur irregularitas quædam ex ſacramenti defectu orta, ſeu ex defectu ſignificationis ſacramenti. Cum enim ad ordines promoti creentur ſacramentorum miniſtri, decuit promovendos nullum circa ſacramenti ſignificationem defectum pati. Bigamus autem defectum in matrim. ſacramento patitur: eo quod matrim. ideo rationem ſacramenti induit, quod ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio eſt unius cum una. At bigamia hoc tollit: bigamus enim cum pluribus matrim. init, quæ ratio traditur a Cœleſtino III. *c. Debitum de bigamis.* Solet etiam alia ratio tradi: quod duplici matrim. copulari ſignum nimiæ incontinentiæ ſit, quæ valde Eccleſiæ miniſtros dedecet.

2 Triplex autem ſolet communiter ſpecies bigamiæ aſſignari a Doctoribus, cum *Speculatore, t. de diſpenſatio. §. Juxta, n.* 6. quamvis *gl. c. 2. v. In bigamis, de bigamis*, duas ſolas prioris bigamiæ ſpecies conferat, nempe, veræ, & interpretativæ, & ideo *Montaigna tract. de big. q. 4. n.* 2. duas ſolas has ſpecies contendit eſſe, & ſimilitudinariam non dici bigamiam, quamvis irregularitatem inducat. Sed communis fere omnium ſentent. cum Speculatore tres ſpecies aſſignat. Prima eſt bigamiæ veræ quæ eſt, quoties quis duplex legitimum matr. init, utrumque conſummans. Diciturque hæc vera bigamia: quia in hoc duplici matrimonio vere deficit repræſentatio unius matrimonii Chriſti cum unica Eccleſia. Habetur autem hæc ſpecies *c. Debitum, de bigam. c. Præcipimus, d.* 34. quod eſt ex D. Gregor. in epiſtolis, *ep. 23. l. 2. & c. fin. ead. d.* quod eſt ex Gelaſio Papa, & *c. fi. d.* 51. quod eſt ex Conc. Tolet. IV. *c.* 18. Secunda eſt bigamiæ interpretativæ, quæ eſt, cum duplex matrim. initur & conſummatur utrumque, non tamen utrumque validum eſt, ſed ſolum alterum, aut neutrum. Vel cum quis ducit non virginem: vel ſi virginem duxit, eam poſt adulterium cognovit. De qua ſpecie eſt late diſputat. ſequent. differendum. Tertia eſt bigamiæ ſimilitudinariæ, nempe, cum in ſacris conſtitutus, aut profeſſus matrimonium init, ac conſummat, etiam cum unica, & virgine. De qua ſpecie habendus eſt ſermo diſputat. 85. & tandem de diſpenſatione circa ſingulas has ſpecies differetur diſputat. 86. At in præſenti de ſola bigamia vera diſcutiendum eſt.